ANTONII SEBASTIANI MINTURNI POEMATA TRIDENTINA

Antonio Sebastiano Minturno

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI

Poemata Tridentina.



VENETIIS, apud Io. Andream Valuassorem.
M D LXIIII.

ILLVSTRISS. ET AMPLISS.

S. R. E. CARDINALI,

Tridentinique Concilii

Præsidi Primario

IOANNI MORONO,

ANTONIVS SEBASTIANVS
Minturnus Episcopus Vxentinus.

CVM *deprehendissem in scripturâ, quæ propriè uerèque Sacra dicitur, multò pulchriorem, augustiorémque Poesim, quàm quæ uel in Homeri, uel in Orphei scriptis reperitur; atque comperissem tum Græci, tum Latini nominis non paucos, qui politioribus literis essent eruditi, eâ de re elegantissima poemata condidisse: etsi me ijs longè inferiorem agnosco; siquid tamen essem studijs eisdem consecutus; in quibus, antequàm Sacerdotium inijssem; non inficior omne fermè tempus ætatis meæ me consumpsisse; id omne, quod uideo, quàm tenue sit, decreui mihi esse ad eos imitandos conferendum. Quapropter; quod otium conuentus agendi intermissione usque ad tuum optatissimum aduentum mihi datum est, antequàm quotidiana Concilia tuo iussu haberi iterum cœpta essent; hoc maiore ex parte ad poeticè scribendum impendi. Atque, vt primùm ad sanctam Syno-*

dum expectatissimus aduenisti; con
cilio feci, poemata ea me tibi esse di
nim fama clarissima rerum gestar
illas, ac potius diuinas animi, inge
aures meas pertulisset, solertiam in p
silium in prouidendo, celeritatem in
striam in agendo, fortitudinem in fer
gerendo, diligentiam in conficiendo,
iudicando, sanctitatem in uiuendo; e
rum in modum, ac singulariter emin
sentem aspexi, quam ea ipsa per uniu
orbem uulgata existimatio de te spem
dignitas illa tua mirificè confirmauit
tu quædam dignitas, quæ in uiro Pri
Euripides, præ se fert dignam Imperio
Omitto generis claritatem, résque ma
rè gestas: quæ, etsi auctoritatis multu
tamen loco illo ponuntur; ut in eo præci
ris sit præferendus, ducantur. Sunt in
quidem, & cum ijs, quæ in cæteris prim
tè splendent, si conferantur, amplissima
mentis, quæ tibi tuæ propriæ uirtutes attu
parentur, sine dubio ita minus fulgeant
ctu matutini luminis, quod Luciferum ap
ra minora. Horum poematum quinque
ctiss. in concilium uocatos admonent, atqu
ut omni contentione depositâ, omni cunc
ctâ, omni denique segnitie castigatâ, Ec
lant, Reipublicæ Christianæ prospiciant,

Domini ſunt, conſectentur, commoditates priuatas omittant. Singulis nomen hoc eſt, quo ſcriptura Eccleſiam ſignificare conſueuit. quippe quæ Ouile, Vinea, Sagena, Templum, Regnum cœleſte nominetur. Sextum eos laudat: te ſempiternæ, vt opto, gloriæ commendat: Deo maximam habendam eſſe gratiam teſtatur; quòd omni diligentiâ curâque adhibitâ, omnium ſtudio uehementer incitato, omnium cum ſummâ animorum conſenſione concordiâ cõciliatâ, te Duce, te auctore, te Principe, SPIRITV SANCTO incitante, id denique ſit conſtitutum; quod uniuerſæ Rei Chriſtianæ utilitatem, ſedis Apoſtolicæ decus, Dei gloriam attingat. Eo res loco erat, ut aqua hæreret: ac, niſi uis diuina adfuiſſet, auctoritáſque tua acceſſiſſet cœleſti numine excitata, adhuc Concilij nauicula in uada arenoſa impacta, alliſáque penderet. Quamobrem, cùm eorum hortatione, à quibus illa perlecta ſunt, edantur; oro te, quæ nomini tuo conſecraui, ita ſuſcipias, ut auctoritate tuâ protecta maledicorum dentem ne timeãt. Nondum enim unquàm ex omni ſcriptorũ genere quiſquam repertus eſt; cui, qui maledicerent, defuerint. ſed metuendi non ſunt, ubi adſit, quem ij reuereri debeant. Quicquid autem id eſt, iudicio S. R. E. ſubijcio. À qua tantùm abeſt, ut diſſentiendum mihi unquàm eſſe putauerim: vt; ſi, quemadmodùm errare non poteſt, utpote quam nobis dederit Deus ueritatis magiſtram; ſic interdum in errorem laberetur; cum eâ malim errare; quàm cum uniuerſo reliquo cœtu Chriſtiano bene ſentire: ſi bene ſentire poteſt, qui ab

eâ dissentit. Illud porrò compertum
genij tui facilitatem, eam morum s
nique animi benignitatem; ut null
guum, munus tibi unquàm affera
rè iucundéque accipias, quod non
declares, quod magni non facias.
re, quod tibi mittitur, non rem ipsa
perspicio, quàm parua sit & exilis
mum, qui summoperè te colit, obse
qui ardet de te benemerendi cupid
lud gratissimum tibi futurum esse
tuam recipiendum. Vale decus Ecc
Reip. Christianæ.

INDEX POEMATVM, QVAE AD CONCILIVM *ſpectant, & hoc uolumine continentur.*

AD PAVLVM III.
PONTIFICEM MAXIMVM,
ANTONII SEBASTIANI Minturni Concilium.

QVID *faciat placidos Reges, quo numine tandem*
Concilium uocet, ut discordia dicta piorum
Componat Pater ipse, sacro qui præsidet orbi,
Musa mihi memora: docuit te Phœbus Apollo:
Omnipotens Phœbo rerum sator omnia pandit.
Tu uerò æterni Diuûm rectoris imago,
Cuius & ipse potens iam numine cuncta gubernas,
Cuncta edictorum metuendo fulmine terres,
Dexter ades, nostri, quodcunque est, carminis auctor:
Ipse mihi rerum syluam, mentémque ministres;
Vt memoranda tui referantur dona laboris.
Accito ex omni, cœtu, regione, deorum,
Concilium genitor magnis de rebus habebat:
Nuntius auditur cùm iam, candentis Olympi
Ante fores mœsto demissam lumina uultu
Stare Fidem, & sanctis ueneranda insignibus ora
Exutam, cœlique aurata intrare uerentem
Limina, plorantémque, ac secum multa querentem.

Quæ

Quæ ſueta abiectos ſummâ ſpe toller
Solari triſtes, animámque excire ſe
Efficere & diuos; mentémque expl
Nec non multa modis aliquando con
Inſtar mortis habens iam nunc uix c
Monſtrum informe; nouâque exter
Horrida, uix & mortales ſpe paſci
Qua tamen infelix nequicquàm fret
Turba cadit mânes, ſtygio damnat
Illam intromitti iuſſit, pulsóque tim
Fidere: & erexit placido Pater ore
Ne dubita: nil te prohibet cæleſtia
Tecta Fides, mea magna potentia,
Nata, meum munus: neque enim
Quorum tot ſcelera indignor, tu ca
Ipſi nanque ſuo ſe in Tartara ponder
Intereúntque ſuo transfoſſi pectora
Sed quídnam potuit faciem fœdare
Quid terras fugiens amiſſo lumine
Hanc repetis ſedem? aut quæ iam t
Quò minùs ingrediare domum bip
Hæc ait. Illa refert dictis erecta paren
O pater, ô cælo, terrâque ſuprema
Ni tua placato uultu, quo cuncta ſ
Iuſſa darent animos; quamuis mor
Tecta, imploratura quidem tua nu
Sic tamen informem me limina ſan
Heu cecidi, infelix, paucorum crim
Prô mutata nimis: quam iam uigo

Igneus inſpirat, diuinóque afflat amore,
Et tua progenies cœleſti ſanguine fingit,
Vique operum informat, uitáque arceſſit ad auras:
Aetherio ſtabilem ſtatuit conſidere ſaxo;
Quo ſibi fundaret tuto munimine templum:
Nequid in aduerſum moliri inferna poteſtas
Eualeat: contra hoc immotâ mole reſiſtat.
Iámque mihi comites dederas, easdémque ſorores
Vnanimes: quarum rebus lætata futuris
Altera, nil inhians aliud, te pendet ab uno;
In te unum tota incumbens nihil ipſa ueretur:
Altera, quæ toto te pectore diligit ardens,
Diligit infeſtos in ſe quoque, diligit omneis,
Omnia te propter digna, atque indigna ferendo
Aequam ſe præbet, ſummâ nec ſorte ſuperba,
Aemula nec laudis, nec opum; non inuidet ulli:
Vt, quocunquè petam, comitetur paſſibus æquis
Vtraque; nec tranſuerſum à me diſcederet unguem.
His ergo ſocijs potui tot ferre labores,
Tã multa haud quaquã memorata prioribus unquàm,
Efficere ut ſanet, quando inſanabile uulnus,
Vmbra uiri, effectum; ac deperdita corpora curet?
Vtque hominum quiſquam defunctos luce relictâ
Euocet ad ſuperos? optatáque lumina cæcis,
Inceſſum claudis, membra ægra trahentibus omne
Amiſſum robur, deſperatiſque ſalutem
Reſtituat? ſiquem infenſa exagitaret Erinnys,
Depellat furias, inuiſáque numina ad Orcum.
Mitto illa, ut quondam clariſſima ſidera mundi,

Quantum optat, cœlo properantia, ue
Vt siccis magnum pedibus transmiserit
Incolumis, uastique rubras exercitus
Aequoris: ut sint monstrificâ sæpe edit
Prodigia: ut demum miracula plurim
Num loquar, ut quodcúque silet, quodc
Mentis opus censent diuinæ? aptatáque
Cuncta probant rerum iam sæcla, ocul
Ire sub aspectum? quo fratrum iustior a
Eminet? hic uiuens æterni ad luminis a
Flamine quo rapitur? quo turbine concit
Flammarum, ardenti se tollit ad æthera
Quo dehinc consilio constructa est lignea
Vt mortale genus diro seruaret ab imbri
Vndique terrarum qui maximus obruit
An uerò memorem, ut summus pater ille
Paruit antiquâ iussus decedere terrâ,
Et prolem innumeram, & regna expecta
Et caput unigenæ sacrum tibi ferre? quod
Illi ad iustitiam adscriptum. quid deindè
Quàm læti expectant promissa parentibus
Tot uarijs rerum euentis, tot casibus acti?
Iam quàm multa uirûm durissima quæque t
Milia, per cædem, per uulnera, pérque do
Omne genus? nam quid memorẽ partim ob
Telorum segete horrenti partim obsita, riu
Vndanti plenos fudisse per arua cruore?
Suspensa ad uentos partim, confixáque ferr
Exhalasse animam? partímque absumpta p

Subiectâ (infandùm) torreri corpora prunâ?
Horum ego tam latè conspersa en sanguine creui,
Horum operâ ramos totum diffusa per orbem:
Arbor opaca polo uelut ardua brachia tollit;
Quam doctæ coluere manus, placidóque rigârunt
Flumine deducto, cultúque auxere frequenti.
Hoc studio genitor fructus bene culta ferebam;
Quos hilarè acciperes oblatos fronte serenâ.
Quæ licet agnoscas tua munera sancta, referre
Accepta haud quaquàm cessas, cœlóque dicare:
Cùm merita esse uelis, quæ debita iure reposcis;
Dignáque pro rectè factis mihi præmia reddas.
Quod uirtutis opus? lætæ quod sortis habetur?
Quid terris oritur? summo quæ semina cœlo
Ducuntur, quæ non certè tua dona fatendum?
Hactenus hæc animis pietas, hic cultus inhæsit,
Hic amor, hoc studium, hæc adeò tibi cura placendi.
At nunc impietas, gelidâ quæ nuper ab Arcto
Prodijt; atque utinam nunquàm irrepsisset ad oras
Italiæ, uires nec latè acquirat eundo,
(Dij, scelus infandum; Dij, talem auertite pestem)
Exuit heu miseram me animâ, informémque reliquit;
Ornatúmque omnem eripuit, decus abstulit omne;
Deijcit hærentem æterno sub fœdere saxo;
Soluit amicitiam castæ, pulchræque sororis;
Quæ mecum unanimis fuerat coniuncta merendo.
Illa, mihi tanquàm gratum factura, parare
Ocia se iactat, libertatémque fruendam.
Non opus, ut factis, iter affectetur Olympo:

Credu-

Credulitate patêre satis. nihil indiga nostri,
Cùm tua principiò genitor diuina uoluntas
Sponte suâ, ad regni partem quos ipse uocares,
Legerit; & , quæ permagna est clementia, iustos
Efficeres; cælique augustâ in sede locares:
Ipsa tibi proles, pro cunctis quæ datur una
Hostia, concilians mortalia pectora sancto
Fœdere, cælestem cunctis placauerit iram;
Atque omnem abluerit diffusò sanguine labem:
Ipsa quoque æternum reserârit limen Olympi:
Pandere quem huic soli concessum: ut crimen ob ullum
Claudere non habeas posthac: tantùm indè laboris
Susceptum frustra; nec iam secùs, atque fuisse
Non satis id credam, quod pro omnibus illa tulisset;
Aut ex integro, quod partum est, posse parari.
Omnia deberi nanque illi: ne sibi quisquam
Omnino tribuat, quod agit prudenter, & optat.
Scilicet, hoc miseri prætexunt nomine culpam:
Vt, quodcunque lubet, liceat; nec legibus ullis
Cogantur; falsâ sed libertate fruantur.
An non illa arbos meritò per compita dicar
Omnia, quæ pingui benè culta adolescit in aruo,
Irriguísque alitur fluuijs, cùm deficit imber,
Clementi regione poli, si euecta sub auras,
Frondentes effusa comas, ramósque decora
Optatos gignit fructus; ornatur honore,
Multósque insigni cultu seruatur in annos:
Sin fert illa nihil; squalet neglecta, perítque
Extemplo diris, decus omne amittit, & aret,

Excidenda

Excidenda fabro, aut flammas auctura coruscas?
Cernis triste nefas fusum per regna piorum
Omnia quàm latè serpat, quo corda ueneno
Imbuerit, cùm quisque suo iam impunè loquatur
Arbitrio rerum de summâ, animóque sinistro
Explicet, ut sentit, diuina oracula mentis,
Vel cui non ultra crepidam prodire liceret.
Iam pauci decreta Patrum, & tam firma priorum
Dicta probant: mores ueterum, ritúsque sacrorum
Mutare instituunt; quos tot per sæcula seruat
Relligio, nullóque aliter iam tempore constat
Seruatos: ea nunc miseros dementia cepit:
Iam simulacra uetant fingi, atque augusta locari
Templa uiris, inter superos, quos ipse cooptas,
Atque inter castos æterni corporis artus,
Corporis arcani, cuius caput unica proles
Ipsa tua, humano Deus ipse è sanguine cretus.
Illos despiciunt, illis incendier aras
Heu prohibent, tanto quos tu dignaris honore:
Et quorum meritis, precibúsque haud pauca dedisti,
Hos indignantur diuos in uota uocari.
Scilicet, hoc demum minuatur gloria nati,
Quo certè augetur: diuis quando ipsius ergô
Mitia supplicibus cumulant altaria donis:
Ac ritè hunc ipsum casti uenerantur in illis.
Quin & Pontifici Romano, summa potestas
Quæ fuerat quondam, nulla est auctoribus istis,
Omnia qui tentant peruertere, iúsque, piúmque:
Ac si iam nullá statuisset lege daturum

Nomine

Concilium.

Nomine iura suo populis hunc optima proles.
Iam ratione regi mortales, iam quoque agendi
Liberiùs uim omnem, ac naturæ lumina tollunt:
Quæ non extinxit labes contracta, sed atris
Noctibus obduxit diuinâ luce fugandis.
Hoc tua perfecit soboles: hoc muneris ipse
Esse iubes nostri, solis uirtute potenti,
Cuncta serenanti, atque æterna luce nitenti.
Verùm ego tam multis quid te nunc demoror? an non
Quæ meminisse pudet, longè peiora supersunt?
Prô scelus: in terris prô quantùm audacia creuit?
Quidnam Tartareum regno spoliasse Tyranum
Profuit, atque imo barathri sub gurgite uincto
Immensa æterni circundare pondera ferri:
Si tot uinclôrum disruptis orbibus ille
Euolat, & magnas immani turbine terras
Eruit, inspirans dirum per corda furorem?
Ille sibi Arctoâ sedes regione locauit
Regnorum, ac latè occiduis dominatur in oris:
Improbus huc illuc mortalia pectora uersat:
Inque dies duri spargens noua semina belli,
Heu capit infestos sæua in certamina Reges,
Excitat, & pridem resides in prælia gentes.
Infandámque pio infundens sub nomine mentem,
Heu quantùm miseros decepit imagine recti.
Sola fides per rura, fides iam sola per urbes
Auditur, solámque fidem posse omnia iactant;
Cætera nequicquàm attingi: quasi nulla piorum
Antè fides fuerit, quorum tot facta leguntur.

Dúmque

Dúmque adeò ſimulant colere his me uocibus unam,
Heu ſceleratum inſigne notæ mihi turpis inurunt.
Dedecus hoc, oro, has maculas nunc ſumme Deorum
Tolle, fidéque fidem redde, amiſſúmque decorem.
Tolle nefas, genitor, ſæuúmque expelle furorem:
Si cælum, terrásque tuo ſine numine miſcet.
Da ritus ſeruare ſacros, moréſque uetuſtos:
Arma abſint, abſit longè diſcordia belli
Cauſa: boni coeant æterna in fœdera Reges.
Sancta per obteſtor, quæ plurima uulnera paſſus
Pro genere humano, tecum qui cuncta creauit,
Cunctáque qui tecum regnat per ſæcula, natus
Diuinam æterno mentem inflammatus amore;
Quæ tibi adhuc tepido oſtendit madefacta cruore,
Nec ſecùs, ac puro radiantia ſidera cælo;
Oraturus opem quorum de flumine mano
Illa ego, quæ felix meliori tempore uixi.
Dixerat: & genua hærebat complexa, pedéſque
Ore pio libans, lachrymarum fonte rigabat.
Suſcipit actutùm ſancti dehinc mater amoris.
Me quoque magne pater, dolor idē, eadémque querela
Tangit, & aſſurgit maior mihi cauſa querendi,
Deſerat ut terras ſæui dura arma furoris
Nuda ſoror fugiens: at certè nomen inane
Illius auditur crebrò, manet umbra relicta.
Qua duce ſublimes efferri ad ſidera credunt.
Aſt ego iam pridem penitus toto orbe repellor
Nil de me linquens; quia nil uoluere relinqui;
Et, quô confugiam, ſedes hæc ſola reperta eſt,

Sedes, omne mihi quæ iam seruatur in æuum.
Illáne, quæ terris superos demisit Olympo,
Reiecta est, quæ mortales euexit ad astra,
Quæ sancta utrisque inter eos commercia fecit?
Aurea quæ mundo sic denique uincula nectit?
Nam sine me quondam nihil effecisse sororem.
Non dubium: usque adeò ueteres utranque colebant;
Spémque haud incertam certis de rebus habebant.
Non sua quærebant tum commoda: non alieno
Vulnere gaudebant: non pectora feruida demens
Ira irritabat, non atro infecta ueneno
Inuidia imbuerat; non fastu elata tumebant.
Spes bona de cunctis inerat: mens omnibus æqua;
Quæ patiens operum nihil indignata ferebat;
Inque bonam accipiens partem quæcunque, propinqui
Rem procurabat. nam te referebat ad ipsum
Omnia: te propter quæ non indigna tulisset?
Nunc utinam moliri inter se incommoda cessent:
Nec læta aduersis, nec tristia corda secundis
Tota gerant rebus cuiusquam; siue reponant,
Siue quid intentent stimulis agitata nocendi.
Publica qui sumunt, priuatáque iura tuenda,
Vt sit præsidium miseris, ut alantur egeni:
Ad sua cuncta trahunt compendia, cuncta resorbet
Dira auri ingluuies, & opum implacata Charybdis.
Quos non fœda Venus, quos non euincit honorum
Sacra fames? qui non laudum ducuntur amore?
Séque humiles adeò simulant, ut ritè merendi
Abstineant studio: nequa confidere factis,

Non donis superûm uideantur inertia corda.
Scilicet, hac stulti rentur defendier arte.
Siquid agunt, faciunt, non quod fecisse necesse est,
Sed ne cui stomachum moueant, neu pectora turbent,
Si mores ueterum iam contempsisse putentur.
Quis ferat hæc? fateor, placidè quæ cuncta ferebam,
Indigna, haudquaquàm potuisse hæc denique ferre.
Da Pater auxilium: nostro succurre dolori.
Hæc indignanti similis leni ore locuta est.
Tum magni dextrâ fatur genitoris ab altâ.
Filius, omnipotens idem Diuûm, atque hominum Rex.
Tantùm ne excidij nostris, Pater optime, regnis,
Regnis supplicio, ac dirâ mihi morte paratis,
Intentat læuum miro molimine numen;
Vndè illi hæ uires, atque undè licentia tanta est,
Exeat ut ruptis Stygio de carcere uînclis;
Misceat & totum furijs comitantibus orbem?
Quid memorem, Eunomios, insanæ aut mentis Arios,
Nestoriósue truces, implacatósque Seueros,
Vt quondam impulerit, nobis qui bella cierent?
Impiáque infandi fabricetur ut arma Sabelli?
Quid Didymos referam, Theodorósq;, Euthychiósque.
Quô furor infestos perduxerit improbus olim?
Aut qui uim æternam Sancto detraxit amori?
Nunquid Anastasios loquar, impurósque Nicetas
Iura repulsantes Diuûm, & simulacra uetantes?
Eloquar, an sileam illaudati monstra Manetis?
Et scelerum flammis quæ dehinc Manichæa secuta est.
Turba furens? aut ingenio qui multa dedisset

Humano, haud quaquàm agnoſcens cæleſtia dona?
Aut Arabum portenta Orientis fuſa per orbem?
Iandudum Europæ latè bacchata per oras
Delectas rapuit ſtudia in diuerſa cateruas
Inferni rabies ducis execranda; furentes
Qua miſeræ præcepta ſecus mea protinus urbes,
Ac data ſunt, capiunt: quando manifeſta recondunt;
Obſcura, ut lubet, accipiunt; quæcunque furori
Apta putant, recinunt. an non dixiſſe beatos
Me memini, magni ſeruant qui dicta parentis,
Inque gredi ſolos æternæ limina uitæ,
Diuinæ legis læti qui iuſſa faceſſunt,
Quíque meo multos potuerunt ferre labores,
Nomine, nec duri quicquam ſæuíque recuſant?
Multáque prætereà, quæ non ſcripsêre priores,
Inſtitui ſeruanda meis. data deindè poteſtas,
Qua præcepta darent patres, ac iura tenenda,
Qui mea regna regant. horum, qui præſidet aruis
Auſonijs, caput elegi: ipſi pabula læta,
Paſcendósque greges ouium, ipſi cuncta mearum
Horrea commiſi frugum, diuináque cuncta
Condita theſauris, claues quoque, ut illa recludat,
Cum uelit; ac reſeret ſedes, claudátque beatas:
Quem morem coluêre ſacrum per ſæcla minores.
Cur leges, cur iuſſa uetant? cur ſancta refutant
Dicta patrum ſtudio ingenti, rebúsque nouandis
Ingenium exercent ſtulti diſcrimine tanto?
Futilis haud ſecùs, ac ſi res, aut fabula agatur.
Ergo iterum alma Fides cultu exornanda decoro

Spes firmanda, & Amor rursum inspirandus honesti;
Ac prorsus tollenda, Pater, Discordia terris:
Ipsáque sub barathro tandem condatur Erinnys.
Dixerat: haud uario assensu simul ore fremebant
Cælicolæ genibus nixi, atque hæc ipsa precantur.
Tum Pater omnipotens solio sic fatur ab alto:
Quo dicente deûm domus alta, & cuncta silescunt.
Hanc equidem causam iam tum tractare parabam:
Cùm stare ante fores cœli te, nata, relatum est.
Nunc ergo audite; atque animis hæc figite dicta.
Quæ terris fiant scelera, & quàm multa malorum,
Vndè habeant ortum, quanto nunc agmine crescant,
Quàm crebris sanctæ percussi pectora mentis
Motibus, ingrati peccandi ut denique finem
Mortales faciant, animíque errata sinistri
Agnoscant, monitus nostros, & iussa recusent,
Nostísque, & nostro doluistis sæpe dolore.
Quo circà stygio demum permissa furori
Excidia Europæ, sumendáque pœna nefandæ
Stultitiæ. Verùm, quando iam cladis abundè est,
Pœnarúmque haustum satis, ac iam ritè precantum,
Merentúmque diu, diuósque in uota uocantum
Assiduè nostras gemitus perfertur ad aures;
Consulere est animus, dirâque hac peste leuare
Delectos cœtus, nostrum qui numen adorant:
Prospiciam ignaris: quorum de mente tenebras
Dispellam: sanctâque diem cum luce reducam.
Hactenus haud uetitum superas errare per auras,
Post hac ne liceat, inferni numinis iram.

Concilium.

Sic ait, & niueâ conspectum in ueste ministrum
Aligerum uocat, ac placidè dehinc talia mandat.
Vade age, care puer, Latium delabere pennis:
Illum, qui celsâ Aeneadum sedet arduus arce,
Nostrâque iam senior pulcherrima regna gubernat,
Pontificem magnis agitantem pectora curis,
Assiduè superos orantem, arásque tenentem,
Dissidium ut prorsus tollat, uincátque superbos,
Affare; ac dictis animi solare dolorem;
Auditásque preces defer, crebrásque querelas,
Et consulta Deûm, & mandata trinuminis alti.
Ad Reges iubeat legatos ire piorum:
Quorum alter Gallis, Hispanis imperat alter.
A bello, Europæ quo pars nunc maxima flagrat,
Auocet optatæ placidos ad fœdera pacis.
Iungat amicitiâ, uinclísque iugalibus arctè.
Horum præsidio cœtus uocet undiquè in unum,
Qui mores statuunt mutandos, quíque tenendos,
Quíque patrum decreta tuentur, quíque refutant,
Quos noua relligio tenet, & quos prisca uolentes:
Componat lites, discordiáque omnia tollat
Dicta uirûm: ut nostrâ pacati pace fruantur:
Nanque adero, & sanctæ præcurram mentis amore.
Dixerat ille celer cœlo demissus ab alto,
Aut similis Zephyro, aut potiùs pernicior illo,
Exequitur mandata patris: summúmque piorum
Pontificem alloquitur, titubatáque pectora firmat,
Et rerum docuit summam, & qui nuntius ipse;
Quæ referens sancti flammas inspirat amoris:

Indè

Indè polo paribus uolitans se sustulit alis,
Vmbra uelut uolucris, tacito quæ labitur axe,
Ac rursum tenues subitò euanescit in auras.
Haud mora, tum Pater, in terris cui summa potestas,
Paruit: ad Regem legatos mittit utrunque:
Qui bello finem imponant, ac fœdera pacis
Connubio firment stabili, quo regia proles
Vtraque iungatur: Gallo nubátque Sueua
Pulchra uiro uirgo, & sobolem, cui pareat omnis
Insubrum regio, faciat: quo fœdere pacto,
Concilium uocat ex omni regione piorum,
Ac fidum statione locum tum maximus auctor
Indicit, tutus quô transfuga confluat omnis,
Et quicunque adeò rerum nouitate mouentur:
Nanque sui defendendi data cuique potestas,
Dicendíque palàm, quánam ratione trahatur:
Vt decernatur, quæ tanquàm sancta probentur,
Et fugienda pijs quæ dehinc sint, quæ'ue sequenda.
Quin etiam in longum cùm rem differre pararent
Germani proceres, iuuenis, cui plurima uirtus,
Et formæ insignis pulchro decus enitet ore,
Ipseque iam summâ cùm maiestate Sacerdos,
Tempora cui roseo tegit infula sacra galero,
Mittitur ad magni pulcherrima Cæsaris ora,
Cæsaris, haud temerè parent cui plurima regna:
Hoc auctore instans, compellat ut ire rebelles
Ad cœtum, ut dicant Latij cur iussa recusent
Pontificis, cur sancta Patrum consulta refutent.
Hic ille est animi præstans Farnesius Heros,

Concilium.

Hoc & Romanæ decus indelebile gentis,
Cui latè ingentes rerum commisit habenas:
Et sacri clauum imperij totúmque tuendi
Præsidium, magni meritò Pater optimus orbis.
Hic labor, hoc onus, hæc illi nunc maxima cura
Conueniant tandem acciti simul undique cœtus
Totáque tollatur prorsus Discordia demens:
Vt iam læti omnes optatâ Pace fruantur:
Quod felix, faustúmque uelit Pater ipse deorum.

FINIS.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI, EPISCOPI VXENTINI, DIOCLES, SIVE OVILE.

QVAE *gelidos fontes, Athesináque flumina Nymphæ,*
Quæ colitis Syluas, quæ dulcia rura Tridenti;
Sic uestri latices nullo non tempore manent;
Sic uestris nunquàm non formosissimus annus
Collibus, intonsis gratæ sint montibus umbræ,
Sint flauæ campo segetes, sint mitia poma
Arboribus, uestro pecori sint pabula læta;
Sic uestræ uiridi lætentur gramine ualles,
Florea sic uestræ ludant per prata choreæ;
Dicere, quæ celsâ cecinit de rupe Diocles,
Ne pigeat, roseum Oceano cùm Lucifer ortum
Efferret, cœlóque nitens depelleret astra,
Pontifici summi acciti dum nomine Patres
Concilium assiduè magnis de rebus haberent.
Nanque PIVM *tolli sublimem ad sidera Quartum*
Sæpe Diocleo meministis carmine quondam.
Culta PIVM, *syluæque* PIVM, PIVM *& antra sonabant.*
Nunc quæ diuino excitus tum flamine uates

Dixerit

Dixerit, in medium placeat proferre: ſileſcunt
Iam nemora alta, ſilent uolucres, ſilet arduus æther:
Ipſa iubente Deo preſſerunt flumina curſum:
Quid non intentè nunc uos audire paratum?
Harum una incœpit præſtanti corpore uirgo,
Altera carminibus, qua non præſtantior unquàm
Dicta referre Dei, uatúmque expromere uoces.
Paſtores ouium, quas toto ex orbe uocauit,
Atque gregem pater omnipotens collegit in unum,
Aeterni ablutas ſacrato ſanguine nati;
Si Princeps ueſter, Latijs qui præſidet aruis,
Cuſtodire pecus, quo nil felicius unquàm
Sol magnus uidit cœlo admiratus ab alto,
Conſilio ueſtro id certæ rationis iniri
Iuſſit, quo Latio incolumes reddantur ouili,
Quæ transalpinis errant in ſaltibus agnæ,
Iandudum ſæuâ rabie frendente luporum,
Quæque bibunt Ararim, magníquæ flumina Rheni,
Quáſque rapit toto diuiſus ab orbe Britannus,
Quáſque fluentiſonum fœdè populatur ad Iſtrum
Dira lues pridem Arctois excita latebris;
Atque Tridentinis cauſa hæc uos detinet oris;
Quæ mora? quid ſegnes teritis nunc otia Patres,
Conſcripti Patres? quibus eſt Reſpublica tota
Commiſſa; ex quorum totus iam pendet & orbis
Iudicio, expectans magnum & mirabile quiddam.
Hæc noctéſque diéſque quaſi aduerſaria ueſtros
Hæc ſpes ante oculos, hæc obuerſetur, & alto
Excitet oppreſſos uigilantia pectora ſomno.

De grege tam magno uestrum est sanare, quod ægrum;
Confirmare, quod infirmum; quódque undique fractum
Consolidare manu ualidâ: tum quicquid abactum est,
Indè referre domum; nec non reuocare, quod errat;
Quærere & amissum, ac tandem seruare repertum.
Hæc uerò in uobis priùs emendentur, oportet:
Quisque incomposito latè quod corde redundat,
Amputet; omne superuacuum, quódque effluit omne,
Commodáque ancipiti præscindat inania ferro;
Improba & ambitio quod fert, quod dira cupido,
Quicquid & illecebris persuadet blanda uoluptas;
Et quo peccandi demanant flumina, fontem
Exsiccet penitus, diuino exurat & igni.
Nunquàm blandiloquâ se ad pascua uoce uocantes
Audiat ante pecus, gressúmque sequatur herilem.
Hæc dictante Deo commoti pectora uates
Præcipiunt: nequis tam sancta oracula temnat:
Nequis diuino tandem se iure teneri
Abnuat: in uetitis ut libertate fruatur.
Nanque erit, ante Deum præcelsâ in nube sedentem,
Damna reposcentem gregis, atque extrema minantem
Supplicia, ut ratio demum reddenda sit omnis.
Infelix, summi Diuûm mandata parentis
Qui non curârit: tenebras trudetur ad Orci
Infernas, sæuásque dabit per sæcula pœnas.
Ille autem felix, animo qui iussa uolenti
Diuina exequitur: cœlestia prata tenebit,
Et deducet oues æterna ad pabula saluas.
Nunquando audistis uasto maris æquore nauim

Diuitijs Arabum, spoliisque Orientis onustam,
Vectorum uitio submersam fluctibus olim?
Aeolijs cùm turba fremens excitur ab antris
Ventorum, ac terram uerrunt, pontúmque per auras
Turbine, & insanos tollunt ad sidera fluctus,
Nubibus & cœlum obducunt, noctémque tenebris
Horrentem inducunt: ferit undique sæua procella:
Plurimus horrisono descendit Iuppiter imbri:
Insequitur, clamórque uirûm, stridórque rudentum.
Consiliúmque ineunt uectores: nulla salutis
Spes datur, eiectis nisi mercibus, ipsa leuetur
Pondere, quo premitur puppis. Nemo incipit ullam
Iacturam facere: usque adeò in discrimine tanto
Plus oneri metuunt, quàm uitæ; diligit aurum
Quisque magis, quàm, quo nihil est iucundius, æuum.
Dum res in dubio est, & adhuc spes detinet omneis,
Dúmque mora infertur: frustra dum tempus agendi
Conteritur, nihil occurrit dum denique certi,
Crebrescunt uenti, sæuit magis atra procella,
Ac latere ex omni concussa carina fatiscit;
Vndiquè & effuse accipitur iam pontus, & imber.
Quid multa? obruitur tandem: secúmque profundo
Absorpta in medios fluctus rapit omnia nauis:
Vectorésque omneis secum pertraxit, opésque
Quæsitas heu cum fulgentibus armamentis.
An non uos omneis, optatáque commoda uestra
Insignes Phrygiâ Patres capita ardua mitrâ,
Vna alto uectat nauis, rapidásque per undas
Tempestas iactat tranquillo à littore longe?

Et

Et ſtridet mâlus celeri iam ſaucius Euro:
Antemnæque gemunt, conſciſsáque carbaſa, nudum
Remigio latus eſt: nequeunt durare carinæ.
Quídnam agitis? quorum causâ pereatis oportet,
En onera eijcite; & ueſtram curate ſalutem.
Quónam præſidio? quo numine fiditis ipſi?
Non Dij, non homines faueant: odêre potentum
Felices auræ: oderunt & flamina plebis.
Sancta Sacerdotum quondam quid nomina fruſtra
Iactatis? parui ſi ducitis alta tonantis
Iuſſa ipſi, haud ſanè mirum ſacrata reſolui
Iura Dei, & manibus temerari templa profanis.
Sic ſic tam uaſto debetis in æquore uentis
Ludibrium ſcopulos inter, niſi denique gazis
Proiectis, portum contendit nautica pinus.
Tu, quo ſummarum nituntur pondera rerum
Cardine, Romani qui nomine præſidis alti
Ipſe regis pinum iactatam gurgite uaſto,
Ingentémque ſedes ad clauum, dirige curſum,
En age, Magne Pater; quo tuto in littore portum
Optatum attingat: quam ferrea dente tenaci
Anchora detineat fundatam te duce tandem.
Aſpice, quàm multæ pecudes nemora alta pererrent,
Deſertæ pecudes: quas atro imbuta ueneno
Erecto capite, immaníque tricorpore formâ
Bellua tartareis iampridem emiſſa cauernis
Inuadit: Stygios paſſim de crinibus angues
Conijcit, & uirus ſubter præcôrdia fundit,
Monſtrum, horrendum, ingens: quo nunquàm tetrius (ullum:

Non

Non quem uinetis laudabilis ora Veſeui
Imperio Iouis intra feruida uiſcera condit:
Non quem fluctiſono reboans premit undique ponto
Inarime: non qui uaſtis fornacibus ardens
Aetnas torquet ſummo de uertice flammas:
Non manibus centum nixus qui ſcindere cœlum.
Quid ſæua Alectò, dirarum aut ulla ſororum?
Quid fera flammiuomis ingentibus effera monſtris?
Quid Scylla horriſonás? Quídue implacata Charydis?
Iam furiale malum per compita, pérque ſuperba
Oppida bacchatur, duróſque inflammat agreſtes,
Inflammat proceres, populóſque in prælia cogit.
Amentes ad bella ruunt: furor arma miniſtrat.
Heu pietas, heu priſca fides, heu templa Deorum
Diruta, deiecta heu uulgò ſimulacra uerenda
Heu pia relligio, deſpectáque iura ſacrorum,
Deſpecti ritus, pollutáque denique ſancta
Omnia: uirginei cœtus, caſtique pudoris
Abſumptum decus, ac ſacratis agmina tectis
Pulſa Sacerdotum, fœdáque ſanguine fuſo.
Inteſtina domi certamina, fáſque piúmque
Dum certant alij patrium delere; tenendum
Contendunt alij, melioráque iura ſequuntur:
Iámque aduerſa uiro coniux; odêre ſorores
Germanos; miſeri natos odêre parentes.
Concurrunt acies fraternæ, & corpora letho
Dant inter ſe ſe, rapiúntque in funera paſſim:
Et conſaguineo iam prata cruore rubeſcunt:
Tanta piam quondam cepit dementia gentem.

Præ qua Thebanos iam longè mitior ira
Impia pro regno fratres in prælia traxit:
Non adeò ſine more furens lymphata per arua
Per nemorum lucos inter deſerta ferarum
Ibat, bacchantum celebraret ut horrida turba
Orgia: uociferans clamoribus æthera complet:
Ardor agit furijs accenſas pectora matres.
In uos culpa, Patres, confertur: crimen in unum
Confertur cœtum: tam ſæua incendia, tótque
Bella, aiunt, rerum nobis exciuit abuſus.
Hocce ſuum uulgò prætexunt nempe furorem
Nomine: tollatur, clamant, tollatur abuſus.
Hæc certè una ſalus; una hæc tutela relicta eſt;
Hic modus afflictis rebus; optata laboris
Hæc demum requies; finémque imponere bello
Hoc unum, populósque poteſt frænare feroces?
Vt ſua regna Deus pacata, & quicquid abactum eſt,
Diſiectúmque gregis, Romana in ſepta receptet
Veſtrâ operâ tandem; longâque in pace regantur
Cuncta: Vnúsque ingens toto qui paſcit in orbe
Numine diuino, nec non cuſtodit ouile,
Gaudeat: ac præpes cœlo uos gloria tollat.
Dixerat: inuitum Phœbus patefecit Olympum:
Mortalésque uocans ſua quenque ad munera miſit:
Mollia tum pulchræ rediere ad penſa ſorores:
Atque pater fluuio laxas immiſit habenas.

FINIS.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI, EPISCOPI VXENTINI, VINEA.

AERIAS *alpes, castelláque Norica propter*
Qui manas, Athesine choris gratissime Diuûm,
Nympharum Pater alme, fluens de montibus altis
Saxosas inter ualles, atque alluis urbes
Italiam ingressus celebrato nomine claras;
Mitte, oro, uitreis natarum è sedibus unam,
Vt referat, uestris cecinit quæ notus in oris
Interpres Diuûm multa audiuere canentem,
Damna recensentem aruorum, agricolásque monentẽ.
At nunc illa satis: quæ promptè audire paratus,
Iussit equos medium festinos sistere cursum,
Quamuis de summo Titan descenderet axe.
Tum uenti posuere omnes, tacuere uolantes:
Cantanti nihil intentas non præbuit aures.
Cultores agri, quondam quem uitibus almis
Colle Pater magnus diuûm conseuit in alto;
Vt bene pòst cultus lætas sibi redderet uuas:
Audite, omnipotens sancto prædixerit ore
Quæ Deus: & dictis animos aduertite uestros.
Luce magis dilecta mihi, mea Vinea, quidnam

Non

Non tibi nauaui studióque operúmque labore?
His ego te manibus conseui: his ordine uites,
His manibus posui: scrobibus fastigia duxi
Non tenui sulco; ne turbidus obruat imber,
Cùm iam sæuit hyems: ne noxia perdat & umbra
Vere nouo; uergant ne unquàm uineta cadentem
Ad solem, mea cura fuit: ne frigora lædant
Horrida: cœlesti nascentia rore rigaui:
Incrementa dedi, largo quæ plurima fœtu
Pubescant: tuto extruxi munimine turrim
In medio: tutela tibi quæ certa daretur;
Ac ueluti speculâ qua prospectaret ab altâ
Agricola, & longè inuadentem pelleret hostem,
Inuitósque aditus tentantem, & bella ferentem.
Quin & te densis uestiui sepibus altè,
Ingentémque dedi circum tua iugera fossam
Nequando, nisi custodita per ostia, quisquam
Intraret: neu formidantes lumina fures
Acturi prædam sibi limina cæca pararent;
Dentis felle fremens ne bellua læderet ulla.
Iámque lacum posui, plenis uindemia labris
Quo flueret largè; nudatáque crura cothurnis
Vinitor ereptis lætanti rore maderet;
Spumaréntque nouo labentia flumina musto
Calcibus expressa, atque insani pondere saxi.
Sole oriente operas, cœli mediúmque tenente,
Cúmque cito occiduas curru properaret ad undas,
Conduxi, quæ te colerent mercede diurnâ.
Tum uerò agricolis curaui ritè locandam;

Qui cultum adiungant multo assiduóque labore;
Térque quatérque solum conscindant omne quotannis;
Brachiáque enixè attollant, uersóque bidenti
Duratas frangant glebas, & gramina uellant.
Incipit & primo glacies cùm uere resolui,
Ac discedit hyems, Saturni dente recuruo,
Vitem attondentes ornent, fingántque putando:
Primi & humum fodiant; primi deuecta reponant
Sarmenta adiutura focos, cùm frigore torpent
Corpora, nec tardi uallos sub tecta reportent:
Fictáque confirment ualis uineta nouatis,
Siqua nouis egeant: studeant frondentia iuncis
Vincire, & nimiâ syluam iam fronde leuare:
Ac tandem eripiant, quæ uitibus officit, umbram:
Et, densis frugem obducunt quæ sentibus, herbas:
Postremíque metant uuas iam sole rubentes:
Maturis metuant ne plurimus ingruat imber;
Né'ue obsit puluis. Cultores actus in orbem
Sic labor exagitet: magnóque mihi ubere fructum
Sic referat: cellas sic demum compleat omnes.
Hæc tibi ego: at uideas, nostro malè grata labori
Quæ tu reddideris. tribulos, ueprésque tulisti,
Lappásque, & duri syluestria uimina rusci,
Floruit & raris in te labrusca racemis.
Consita Niliacis inuito flumine ripis
Transtuleram uineta olim maris æquore rubri
Intacta, & Solymis sacrato in monte locâram.
Sancta Palæstinæ iam pinguia fusa per arua
Principio terræ; extremas ducuntur ad oras,

Et

Et mare ueliuolum attingunt, & fluminis alti
Littora; lætantur non uno palmite gemmæ:
Omne solum passim florentia germina complent.
Iámque & odoratas præcelso culmine cedros,
Medorúmque nemus, latè quod iactat odorem,
Arbusta exuperant: frondoso tegmine colles
Vmbra tegit: pendent maturæ uitibus uuæ.
At, cùm iam lōgo haud quaquàm pòst tempore seruos,
Debita qui domino capiant, uecténtque recepta
Vina, bonos misissem, atque intra tuta recondant
Tecta; uiros tenuere mali ueterésque coloni;
Ludibrióque habuere Deos: in uincula captos
Coniiciunt: alios nudatos corpora cædunt:
Inque alios rapiunt prærupti fragmina montis,
Duráque saxa inter condunt: aliósque trucidant
Sectos, aut sæuo transfixos pectora ferro:
Inque lacum iniiciunt alios frigentis aquai:
Suspensi ad uentos alij panduntur inanes,
Vanóque sublimes uestigia in aere ponunt,
Ammittant donec sic toto corpore uires.
Interclusam alij constrictis faucibus efflant
Luctantémque animam enecti: radijsque rotarum
Districti, ac diro laniati uulnere partim
Effundunt tristem multo cum sanguine uitam:
Exustos partim flammâ crepitante uideres:
Idque iterũ, atque iterũ. Mea tum, mea denique proles
Vnigena æterno proles æqueua parenti,
Naturæ cui uis eadem est, eadémque potestas,
Gloria par, cælo teneras demissa per auras,

Atque ſinu patrio (natum ſi fortè uerentur)
Deuolat: humano inuiſit te uinea uultu;
Induit humanam mortali corpore formam
Tractandam ingratæ turbæ, paritérque uidendam.
Num ueriti nati aſpectum? num ferre petenti,
Quos debent, fructus? nunquid parêre parati?
Filius en, aiunt, Domini iam uenit, & hæres:
Occidamus eum. nam, ſi regnauerit ipſe,
Actum de nobis. pereat ne denique tota
Gens noſtra, una hæc pro populo ſit uictima cuncto.
Prô ſcelus infandum, uinctum extra mœnia ducunt;
Inque crucem tollunt rabidi, cruciántque uolentem
Inſenſi, ac dictis tacitum inſectantur amaris.
Plurimáque accepit iam uulnera corpore toto,
Vulnera, quæ puro maculas lauêre cruore
Humani generis, quæ perdita ſæcula ſeruant.
Quid fecêre? ſua ui tandem excitur ab umbris:
Infernas referens prædas remeauit ab Orco
Ad ſuperos uictor, ſpoliíſque ornatus opimis:
Et uiuens cœlum aſcendit: ſedet inclytus altè
Ad dextram patris, & cuncto iam regnat in orbe.
Continuò iuſſi ueteres migrare colonos;
Aeternámque nefas auſos expendere pœnam.
Vnica tum frendens, qua non immanior ulla,
Bellua reſciſſo populatur limite uites;
Et nemorum egreſſus dudum de rupibus altis
Demolitur aper ſtimulis agitatus edendi
Optima quæque malus; rapit omnia dente recuruo.
Vinea deleta effracto munimine ſepis,

Deiecta

Deiecta & turris, nec non custodia dempta est.
Vna mihi ex uno excellens seruata propago
Germine, regali de semine regia uitis;
Quá'que fide obstrinxi me ipsum, tum denique solui.
Consita iam toto paulatim creuit in orbe;
Atque salutari terras complectitur omneis
Tegmine: præcelsos superant umbracula montes:
Multa tulit cunctas latè uineta per oras.
Illa nouis sancto commisi more colenda
Agricolis: quorum princeps, qui Tybridis arces
Obtinet, & Latij solio sedet arduus alto:
Fertilis huic uni commissa est uinea tota:
In partémque operis, mandatum, ritè uocaret
Nomine ut ipse meo non unâ ex parte colonos;
Qui rectâ ratione colant, quod cuique locetur:
(Ipse legam lectos rectè, quos ille uocârit,
Ipse uocem haud dubiè) desit ne uitibus usquàm
Prospiciat cultus: diuino hæc iure tuenda.
Ille uicem, numénque meum uineta per ipsa
Cuncta tenens latè regat omnia: numinis alti
Participes faciat socios: det iura uocatis.
Principiò referant, quàm prompti plurima uina
Optima; quàm toto exhilarent conuiuia cælo;
Maxima quàm superûm pertentent gaudia mentes;
Doctiloquo plures cecinerunt carmine uates.
Agricolas ingens postquàm dementia cepit
Illa nouos eadem, ueteres quæ ceperat olim,
Quæ'que animos fœdè resides incuria reddit,
Iam fera flammiuomis horrentibus effera monstris,

Terrificans fera, tartareis emissa latebris
Arbusta inuadit, spiránsque immane per arua
Bacchatur, uasto diffundit & ore uenena,
Corrumpítque solum, cultos euertit & agros,
Et nebulæ admistos flagrantibus euomit ignes
Faucibus, inuoluit terras caligine cæcâ,
Eripiénsque diem optatum, glomeránsque per auras
Noctiferam nubem complet iam cuncta tenebris;
Et dilecta mihi passim uineta cremantur:
Itque globus cælo flammarum, & sidera fumo
Contristat, mæstum obtendit ferrugine Solem.
Iam quâ sæuus equis oriens se tollit anhelis
Oceano, fuscos quâ se conuertit ad Afros
Descendens cælo, spatia, & breuiora dierum
Conficit ille, atrâ ac longâ sata nocte teguntur
Omnia; & exustæ pereunt iam denique uites.
Iam septem gemini panduntur ubi ostia Nili,
Quáque minax rapido Tigris uelocior Euro
Labitur, & magno latos secat agmine campos,
Et quâ fluctisonans Tanais, quâ maximus Ister
Ingreditur pontum, niuibus quâ crescit & Hebrus,
Flumina quâ campis Asiæ funduntur apertis,
Nubisonísque iugis percurrens limite Taurus
Perpetuò didit non uno nomine terras,
Quâ cánens premit arua gelu, quâ torret & æstas
Longanimis, colitur quâ demum à Gadibus usque
Extremos terra ad Garamantas, & alma Canopi
Culta manu infidâ, nulla est non arida uitis.
Græcia quid tandem, magnarum Græcia laudum

Inclita

Inclyta carminibus, gens clara ex omnibus una,
Cuius ope egregiâ culta est mea uinea quondam?
An non arescit? númne ullo palmite floret?
Iámque mihi occiduis quæ seruabatur in oris,
Prô dolor, actutum non unâ in parte recisa est.
Tu pia, tu felix quondam Germania, Regum
Prole parens, nunc infelix atque impia ualde,
Quæ reliqua heu uineta facis? quæ non ruis ipsa
Stirpitùs ancipiti ferro? quæ falce recuruâ
Non tota abscindis? quæ non tu deniquè mordes
Dente uenenato? quo non lethalia passim
Vulnera perstricto signatâ in stirpe relinquis?
Quicquid in Hesperiâ fœdum est, scelera omnia tandem
Ad te transfugiunt, deiectæ sordis asilum.
Improba quæ nuper Stygijs educta cauernis
Bellua te misera aggressa est? quæ turbat Erinnys
Dira immane caput crebris innexa colubris?
Vortice prærupto quæ te nunc uasta Charybdis
Absorbet? cur hæc magni maris æquora tranat
Effera, & ab totos rabido uorat ore Britannos?
Cur & Pæonios fines transmittit, & Istri
Flumina, nec cessat populos uexare quietos?
Num uerita est insana pios inuadere Gallos,
Præsidium Romana tuum, mea uinea, Gallos?
Macte nouâ uirtute puer, Rex maxime, perge.
Arma para, depelle feram, comitésque feroces
Insequere: ipse dabo uires, animúmque potentem:
Ne dubita, præclara tibi uictoria parta,
Quæ turbata uides, iam iam pacata reducet

Omnia: causa mali tanti dabit impia pœnas.
Nec uerò inuictos quin pertentârit Iberos,
Et iuga flagrantis traiecerit alta Pyrenes,
Absuit: at magnus mea maxima cura Philippus,
Rex ille Hesperiæ, quo nil iam sæcla priora
Viderunt maius, nec posteriora uidebunt,
Anguiculos, quos illa truces iactare per agros
Cœperat occultè, compressis faucibus arctè,
Quàm primùm Hispanis illisos depulit aruis.
Hic Tartessiaco latè dominatur in orbe.
Hic Siculis, hic idem Italis dat iura superbis:
Hic etiam Belgas, flauâ quos alluit undâ
Oceanus, magnóque interdum illabitur æstu,
Lege tenet sanctâ, regnísque potitus auitis
Quot quot ab Herculeis ingens circumfluit oris
Pontus ad Ionios tam multa per æquora fluctus;
Extra anni, solísque uiam iam plurima adeptus
Regna noua, occiduos longè prouexit ad Indos
Imperium, noménque meum, ritúsque sacrorum.
Ignotásque sacris adiunxit uitibus ulmos.
Tu decus Hesperiæ magnæ, rerúmque mearum
Tu columen, tu perge meas defendere uites;
Ne noceant hyemes; noceat ne Sirius ardens;
Bestia conscissas ne stirpe euellat ab imo.
Iam sedes aurata tibi intra tecta parata est
Regia, ebúrque nitens sceptri, latéque superbum
Ostrum sidereo in templo, ex auróque corona
Astrorum irradians gemmis pro munere tanto:
Téque ubi multa dies longo prouexerit æuo,

Flamma-

Flammato accipiam ſolio ſtellantis Olympi.
Ille potens, qui priſca Luſi florentia Regna
Longâ in pace regit, celebrísque Sebaſtide ſanctâ
Relligione dies clarum cui nomen, & ortum
Attulit optatum, ille nouas Orientis ad oras
Protulit Imperium, nec non mea iura tenenda,
Præſidium ille ingens pietatis, & incrementum.
Tu, mea Regna tenes qui maximus omnia, & uni
Aurea cui ſummi commiſſa eſt ianua cœli,
Tu Pater aduigila, curam noctésque diésque
Pone, operâmque enixè ingentem adhibere memento:
Tu PIE QVARTE *uide, ne bellua tranſeat alpes,*
Clámque per Italiam ſerpat, fundátque uenena,
Immitésque aſpris iactet de ſentibus angues:
Conciliúmque iube, quod iam tu ritè uocaſti,
Perficere incœptum. Quídnam tam ſegne moratur?
Quid mea diſſimulat præcepta, & aperta patêre
Negligit? an me, quod cunctis ſeruare neceſſe eſt,
Præteriſſe putat? nunquid mea iuſſa latêre
Ipſe uelim? timeat, ſoluátne denique pœnas,
Ni doceat uerum, & quæ ſit mea certa uoluntas:
Néue indignanti mihi pectora concitet ira,
Percitus ut prorſus cogar mutare colonos;
Ac demum delecta aliò transferre colenda
Arbuſta: ipſe uel excirem de uallibus imis
Germina, quæ reddant florenti palmite fructum;
Ipſe uel extemplò nauos horrentia ſaxa
Verterem in agricolas, qui rectè agreſtibus armis
Vincta excolerent optatáque uina referrent.

Iámque

Iámque anceps ferrum præſtò eſt; iam dura bipennis
Arboris ad ſtirpem infœcundæ admota minatur
Excidium, neque abeſt, quem mox mittatur in ignem:
At nunc inſanos præſtat componere motus.
Quare agè, nunc finem exoptatum impone labori
Incœpto: non uſquàm abero: nec maxima Regum,
Magne Pater deerunt, quorum tibi nomina nota,
Auxilia. Illa, illa inprimis Res publica felix,
Illa potens opibus, nec non & fortibus auſis,
Nec pietate minor, nec floreſcentibus armis,
Aeternum Italiæ lumen, præclaráque gentis
Gloria, quæ Troià comitata Antenora magnum,
Cui iam tot maria, & terræ, tot maxima parent
Regna, ſuis aderit magnis tibi uiribus æquè.
Ille tuæ num gentis honos, Hetruria cuius
Subditur Imperio, & diuûm Florentia mater,
Vnquàm deeſſe poteſt, atq; omne, quod obtulit ultro,
Abnuere, ac largè totas non fundere uires,
Ille ſatis nunquàm laudatus carmine Coſmus?
Quid Dux Allobrogum, quo Principe Gallia gaudet
Vtraque? quantus adeſt? quàm & opem tibi ferre pa-
Iam mihi Germanos inter permulta relicta (ratus?
Millia, quæ nondum ſcelerata inſania uicit;
Salua, & magnorum latè decora alta potentum.
Cæſaris haud dubitas, quàm ſit ſuper æthera nota
Relligio; cui iam Romana potentia paret;
Qui duxit claros inimico ex hoſte triumphos,
Pæonias gentes dum tutaretur, & urbeis.
Filius hunc ſequitur compar pietate uel armis;

Regia cui fulgent insignia tempora circum,
Romulidúmque decus, patrios aucturus honores,
Et soceri tandem æquaturus facta trophæis.
Iam perspecta fides, perspecta potentia, diues
Qua Rex Sauromatum pollet, perspectáque uirtus.
Hac ope, Concilium siquid rationis inibit,
Quod renouare queat, deletum quicquid in agro est,
Et seruare, uiget quod adhuc, spes optima rebus
Hæc una afflictis dabitur. Germania mater
Magna uirûm incipiat cultum instaurare priorem,
Non dubium, prisco siquando more recepto
Viuendi sanctè, rerum dematur abusus;
Emendet se quisque uolens; sua commoda linquat;
Quæ mea sunt, quærat; mea denique iura sequatur.
Hæc ratio, hæc arui tibi sit uia recta colendi:
Vt longa arboribus posthac uindemia cultis
Pendeat: & multo pubescat uinea fœtu.
Ac minimè metuat surgentes pampinus Austros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem.
Hæc ille, Hesperias Titan properauit ad undas
Inuitus: purúmque astris concessit Olympum;
Ad uitreas castæ sedes rediêre sorores.

FINIS.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI, EPISCOPI VXENTINI, TEMPLVM.

PERGITE, quæ latices Atheseide funditis urnâ;
Quæ montes, Nymphæ, quæ florea prata tenetis:
Sancta Diocleo cecinit quæ carmine Musa,
Dicite Callirhoë cœpit sic una sororum,
Callirhoë pulchrè fandi doctissima Virgo.
Custodes magni Pario de marmore templi,
Aut Pario, aut certè quo nil pretiosius usquam,
Quo nil candidius fuluo circundatur auro;
Accipite intenti, atque animis hæc figite uestris,
Pectora diuino referam quæ concitus œstro.
Est locus: Assyrij patres dixere Siona:
Mons medijs surgens Solymis: qui uertice sacro
Ardua contingit stellantis culmina cœli.
Hîc auctore Deo celsam Rex inclytus arcem,
Rex magnus, Rex ante alios præstantior omneis,
Candenti lapide extruxit, mirâque polito,
Quadratóque manu artificum; solidóque adamante
Vestibulum erexit; flauóque ex ære columnis
Limina firmauit: uestibat mœnia tota
Vndiquè odorata interiùs iam plurima cedrus:

Ex

Ex cedro totum, desectâque abiete tectum;
Auro abies omnis, cedrúsque obducta nitebat
Tota omni ex parte: ac gemmis radiabat, & auro
Templum augustum, ingens: quo nunquàm pulchrius (ullum
Sol oriens uidit, nec cœli ad culmina uectus,
Nec magni properans epulis accumbere ponti,
Mittere & alipedes ad pabula nota iugales.
Accensi pendent lychni laquearibus aureis;
Noctémque exuperant omnem: lux alma, diésque
Effulgens latè mentes, oculósque tuentum
Lampade perpetuâ pascebat; ut alta nitentis
Vndique sideribus summi præfulget Olympi
Regia; & æterno cum lumine mira uoluptas
Candida cœlicolûm spectantum pectora complet.
Auro cælata haud uno iam nomine uasa,
Ipsáque permagna, atque ingenti pondere multa;
Permultæ ex auro pateræ; carchesia multa
Aurea; quæ multo spumabant sanguine sacro;
Cùm facerent uitulâ, aut candenti corpore tauro
Ante aras: aræ fumabant thure Sabæo.
Aurea tum solia: & niueo constans elephanto
Splendebat sedes auro circundata flauo.
Hîc domus interior regali splendida cultu,
Quam penetrare nefas, qui non sit iure Sacerdos,
Regia fulgebat magni sanctissima templi
Pars olim: propriam sibi eam Deus ipse dicârat,
Qui fugit aspectum: nondum data gloria cuiquam,
Ora usquàm humanis oculis diuina tuendi.
At, referunt superûm celeres qui sancta per auras
Mandata,

Mandata, affaríque solent, & corpore pulchro
Se dare uisendos; homines ut sæpe fruantur
Colloquio Diuûm; auratâ hîc duo ueste nitebant
Aligeri, humano cœlestia lumina uultu
Afflantes, sanctúmque alis altare tegentes
Cæruleis pariter, pariter se præpete pennâ
Tangentes, auibus similes, quæ fortè uolantes
Remigio alarum se se nectúntque, tenéntque
Interiore: auras pulsant, ac nubila tranant
Exteriore: secant uentos, atque æthera obumbrant.
Antehac iam dederat legem, ritúsque sacrorum,
Relligione pios mores, sanctósque ministros;
Quæ foret æternùm magni custodia templi.
Quíque & odoricremas adolerent ritè per aras
Thura Sacerdotes casti, solennéque sacrum
Perficerent rectè: cunctis præfecerat unum,
Ante alios habitu insignem, ac radiante tiarâ;
Alto qui solio, sceptróque innixus eburno
Præsideat; populísque sedens det iura uocatis.
Munere pro tanto quídnam gens impia tandem,
Gens ingrata Deo, quid rettulit? illa pudendos
Adsciuit sibi læta modos, ritúsque nefandos,
(Heu pietas, heu sancta Dei mandata, fidésque)
Externósque Deos ex auro, & marmore fecit:
At sæuas tanti sceleris dedit improba pœnas.
Vrbs dilecta Deo multos uenerata per annos,
Regia, & antiquis atauorum maxima regnis
Occidit heu tota infelix à sedibus imis
Excidio infando, &, plus quàm furialibus, armis.

Fletus

Fletus ubique ingens, lethi crudelis ubique
Vultus, ubique tremor; summum ferit æthera clamor
Lugentum; magno complentur singula luctu;
Fœmineis ululant plangoribus omnia latè:
Amplexæ infantum nequicquàm pectora matres
Chara tenent: tenero euelluntur ab ubere nati:
Pérque uias uulgò sternuntur fortia multa
Corpora, pérque domos, ipsóque in limine templi
Ipsas ante aras: nullo discrimine passim
Cuncta cruore madent: lætatur strage cadentum
Immanísque canum rabies, & fœda uolucrum
Ingluuies, uncíque pedes sine more furentum.
Iam ferro immiti, sæuóque euertitur igni
Templũ ingens, domus alta Dei, domus alma tonãtis;
Iámque æquata solo iacet: alto à culmine pulchra
Mœnia tota ruunt: & flagrans liquitur aurum;
Argentíque fluunt riuis, ærísque metalla,
Vi magnâ interdum ut uastâ fornace Cyclopum.
It globus horrificans flammarum; it fumus ad astra;
Et cineris cumulo passim iam cuncta replentur.
Iam seruata diu templi pulcherrima gaza
Diripitur; manibus temerantur sacra profanis:
Iam decus omne urbis, iam uis tota undiquè rapta,
Transportatur opum: reliquum nil denique pulchri,
Nil sancti: iuuenes capti Babylona, patrésque,
Et uir quisque suâ cum coniuge, cúmque relictâ
Prole abducuntur: pueri, castæque puellæ
(Heu dolor) Assyrijs seruitum matribus ibant.
Id uerò durum, quo non immanius ullum

Supplicium

Supplicium, prorsus diuino à numine linqui;
Et caruisse sacris; sanctâ caruisse dierum
Relligione: pio ueterem iam pectore cultum
Velle quidem; sed deesse locum, morémque colendi.
Velle effata Dei; at nusquam reperire loquentem.
Posthac assiduâ pulsatus uoce precantum,
Supplicibúsque Deus lachrymis in uota uocatus
Audijt: atque oculos fumantia in arua Sionis
Coniecit: magni permouit pectora Regis:
Instaurare iubet templum, sedésque, focósque
Barbaricâ excisos rabie; sanctásque redire
Relliquias; altis munire & mœnibus urbem;
Legibus & patrijs uti, ritúque sacrorum
Antiquo Solymis; cultúmque adhibere priorem.
Cúmque iterum longè diuinæ à tramite legis
Errarent, & iter per deuia, pérque tenerent
Confraga, quâ præceps it gens ignara bonorum:
Ingemuit Pater omnipotens; & percitus irâ
Infestósque Syros, inuisúmque excitat hostem,
Seruitio populum duro qui tum premat omnem,
Qui spoliet templum, uiolet qui iura sacrorum,
Execranda super sacrata altaria ponat
Qui simulacra, sacrum qui deniquè polluat omne.
Non tamen usque adeò cœtum neglexit amatum;
Quin pia, & ingenti sibi robore pectora seruet;
Hostem quæ sæuum eijcerent, urbémque tenerent,
Purgarentque nefas, temeratáque templa nouarent,
Permansura quidem posthac per sæcula cuncta;
Si Regem accipiant, cœlo quem miserit ipse,

Promis-

Promissum fatis Regem, monitisque Deorum.
Vnigenam misit mortali corpore prolem
Indutam: Solymis celsâ quæ regnet in arce.
Hoc autem extincto iam funere semper acerbo,
Semper honorato (heu scelus indelebile pœnis,
Quod nunquàm satis eluitur Stygis amne seuero)
At mox educto meliora ad lumina uitæ,
Qui toto æternùm felix regnaret in orbe;
Quis fando tradat, miseros quàm multa sequantur
Supplicia, & crudo Alecto quàm sæua flagello?
Vrbs eadem infelix Romano milite tota
Eruitur, quàm antehac longè crudelius unquàm.
Omnia tecta ruunt: templúmque euertitur ipsum
Funditùs; ut iam ne ulla quidem uestigia quisquam
Cerneret: è cœlo demittitur aliger alto
Flammato effulgens nimbo; cœlestibus armis
Fundamenta solo qui tota euertat ab imo;
Diruat à summo qui mœnia culmine ferro;
Romanísque addat uires, & suscitet iram.
Quod ferri rabies, quod iam defessa reliquit
Dira fames, quod edax flammis crepitantibus ignis;
Ducitur id captum, & uarias transfertur in oras:
Seruitio premitur summo genus ab Ioue ductum,
Flagitij tanti pœnas sine fine daturum.
Tum Rex ille Deus, Deus ille æterna potestas,
Quem leuâ infelix mente aspernatur Hebræus,
Et lapis ille ingens, lapis ille eiectus ab omni
Parte urbis magnæ, quo clauditur angulus ipse
(Nam latus ille altè positus coniungit utrunque,

Et duo quæ quondam fuerant, compellit in unum)
Fundamenta noui manſura in ſæcula templi
Alta locat, templi, quo nil auguſtius unquàm.
Impoſitum ſolido uiui munimine ſaxi,
Firmatúmque altè æterno ex adamante columnis,
Et uiuo lapide extructum ad fulgentia tollit
Sidera: conſpicuis totum circundedit orbem
Mœnibus. immenſo diffunditur area campo,
Qua ſibi quisque, probè ædificent pulcherrima tecta:
Turribus hanc circum totam complectitur altis:
In medio ſpeculis poſuit ſublimibus arcem;
Quam teneat, Latijs latè qui præſidet aruis.
Adſcripſit uigiles; quorum ſit maximus ille,
Ille inquam, poſitâ qui ſummâ inſederit arce.
Huic uni data totius cuſtodia templi:
At reliquis ſua cuique ſuo munimine turris.
Huic etiam uigiles mandatur, ut eligat omneis,
Ac uocet adſcitos in partem quenque laboris,
Qui rectè adſeruent ipſi cœleſtia regna.
Vrbs electa igitur cunctis iam creuit in oris
Alma Sacerdotum, gens aurea, regia, ſancta;
Præclarúmque genus, regale, atque undique pulchrú.
Iámque alijs auro pulchrè componere tecta
Cura fuit, partim argento, nitidóque elephanto.
Inuidit furor inferni teterrimus Orci:
Inuidit rabies dirarum horrenda ſororum:
Inuidit Nemeſis nunquàm placabilis ira.
Ecce Erebi latè portis effuſus apertis
Exijt horriſonum ſtridens exercitus omnis,

Gorgones,

Gorgones, Harpyiæ, dirarum turba tremenda
Eumenidum, Centauri informes, triste Chimæra
Portentum accinctum flammis, Scyllæque biformes;
Plurima prætereà monstra implacata ferarum,
Tartareis nondum ad superos educta latebris.
Dux erat armipotens horrenti corpore monstrum
Bellua, qua stygiâ nil prodit tristius undâ.
Nam, quæ marmorea ac gemmis ornata decoris
Accepêre, leui stipulâ magalia tecta
Effecere senes, montani culminis instar.
Incautam inuadit paucis uigilantibus urbem;
Aggreditur templum; oppugnat: iam machina muro
Admota est, qua nunquàm audita immanior ulla;
Non qua, ut fama est, ipse doli molitor Vlysses
Inuenta antiquæ perrupit limina Troiæ.
Iam crebro pulsata labat templi ariete moles:
Iámque micant miris tormenta sonantia bombis
Flámiuoma, intorquent quæ grandia saxa per auras:
Vt, si demittat cœlo ui fulmina magna
Iuppiter, intonuêre poli, flagrat ignibus æther.
Iámque emota solo non unâ in parte, ruúntque
Mœnia; & ab lapides disiecti, & tecta domorum
Ardua; & assiduo quâ defensore carebant;
Ingressus iam cuncta tenet deterrimus hostis.
Quid referam? an crebris instat quâ flatibus Eurus,
Quâ uolat Euronotus, tepidásque intersecat auras?
An pluuijs Auster quâ se se concitat alis,
Sideris ætherei augetur quo lætifer æstus?
An uerò horrisonis quâ nubibus Africus horret?

An quâ terrifico stridént Aquilone procellæ,
Aëra condensent, aut turbida nubila pellunt;
Quâ câno tegit arua gelu, qui perflat ab Arcto?
An quâ frigentes contristant æthera Cauri
Quàm dirupta domus, quàm ferro euersa, uel igni
Tota iacet; durâ quàm nunc ditione tenentur
Omnia? quàm latè nunc effera bellua regnat?
Vix ea pars reliqua est, genitabilis aura Fauoni
Fœcundat fœtu quâ terram, & floribus ornat.
Seruatámque diu, ac sancto munimine tutam
Maxima custodum tenuit uigilantia quondam.
Hanc etiam ille idem diuorum acerrimus hostis
Clàm priùs, indè palàm totis iam nuper adortus
Viribus: admouit iam bellica mœnibus altis
Instrumenta: quatit iam térque quatérque superbus
Excidium extremum intentans: ah denique moles
Improbus haud unâ expugnat regione labantes.
Heu rapiunt aurum, rapiunt donaria sancta;
Et simulacra Deûm excindunt: igníque dedêre
Corpora iam uenerata olim; pedibúsque profanis
Relliquias ah conculcant; & sacra profanant
Omnia; delubra euertunt, fas omne resoluunt;
Virgineum decus absumunt, cœtúsque sacratos
Odêre, insontésque trahunt in funera passim:
Quid plura? eiecêre Deum de limine templi:
Nil diuinum omnino illis, nil denique sanctum:
Inque dies mittunt uarias in Tartara prædas;
Ac læti gaudent claros duxisse triumphos.
Et uos hæc oculis æquè spectare potestis,

Hæc

Hæc oculis inquam ueſtris? prô ſancta Deorum
Relligio; prô cana fides; pietáſque, pudórque.
Quare agite, ô magni uigiles, miſereſcite tandem;
Collapſam reparate domum; reparate uetuſta
Tecta Dei; ritúſque ſacros renouate piorum.
An non, tantorum quæ'nam ſit cauſa malorum,
Perſpicitis? Vos nempe reos, uos criminis huius
Accuſant omnes: utinam, ne conſcia culpæ
Mens teſtis rerum grauis. heu iam nomine ueſtro
Nullus honor ſuperis; nulla eſt reuerentia legis
Diuinæ. haud dubium prætexere nomine culpam
Quenque ſuam ueſtro. Reges, iuuenéſque ſenéſque
Iam peccant: plebis iam plurima crimina nota:
At ueſtra in primis: quibus irritata tonantis
Ira Iouis ſummi ſinit hæc immania bella,
Vltrices uires, atque arma inimica mouere
Infernas acies. num diſſimulare poteſtis?
Vos diuina manus tetigit; diuináque tela
Infligunt ueſtris lethalia uulnera rebus:
Déque manu ueſtrâ abſciſſum Deus omne repoſcet,
Qui neglexiſtis reſcindi mœnia templi:
Diruta qua uobis ſint nunc ratione nouanda,
Nil operæ datis. en Patres reſipiſcite tandem;
Procurate inopum rerum, ueſtrámque ſalutem.
Vna ſalus demum, ratio certa una ſalutis,
Quærere, quæ Deus ipſe optat: quæ ueſtra uoluntas,
Temnere. ne pigeat uos mente capeſſere totâ,
Sanctáque cœlicolûm mandata faceſſere Regis,
Et quæ Maiores ueſtri præcepta dedêre.

At ualeat; peperit quæ damna, licentia rerum.
Sic reparata olim, quæ iam nunc perdita cerno,
Aspiciam; firmum, multis quod nutat in oris:
Sic erit ut magni surgant fastigia templi.
Iam latis alios humeris portare iuuabit
Saxa abrupta; alios syluas, & lustra ferarum
Cædere, & obnixos deuoluere montibus altis:
Iámque manu portata alios aptare magistrâ.
Immanes alij excindent solidásque columnas
Rupibus horrificis, iam iam decora alta locandis
Aedibus: argenti pars grandia pondera, & auri
Offerre instabunt altaribus ornamenta:
Feruet opus studio ardenti: labor omnia uincet.
At, si uestra furor tantus, dementia tanta
Pectora si cepit, qui hæc aspernanda putetis;
Auferet has uobis, mihi credite, denique sedes,
Auferet (auertat Deus omina talia prorsus)
Atque nouos iterum, adseruent qui templa, ministros,
Eruta qui renouent, aut qui noua mœnia condant,
Eliget: ac uereor, ne alibi sibi muniat arcem.
Quid non summa potest, rerúmque æterna potestas?
De Stygijs tenebris, nedum de uallibus imis
Educat, uelit, ille; sibi qui ritè ministrent.
Sed, quæ iam sine fine dedit, sua regna manebunt;
Non dubito: stat promissis; non decipit ipse.
Tu uerò uigilum princeps, tu maxime custos,
Aeterni qui numen habes, Pater optime, Regis,
Aduigila; templúmque ingens reparare memento,
Quacunquè abruptũ est; segnésque impelle trahentes.

Hic

Hic nullâ ratione moram, dum commoda quærunt
Quisque sua, spernunt quæ nunc Respublica poscit.
Vt PIE *tu rerum fers maxima pondera* QVARTE,
Sic bene gestarum tibi maxima gloria rerum.
Effecisse, Deo quod nullâ haud parte probatur,
Laudis habet certè decus immortale perennis.
Proijce qui uendunt uitulos, niueásque columbas:
Expurga horrifero templúmque, arásque flagello;
Ne cauponantum spelunca sit improba furum
Sancta domus castis uotis addicta precantum,
Auribus extemplò aduenient, & lumine capti,
Infirmíque pedum uires, moribundáque membra
Absumpti, optatam reddas quibus ipse salutem.
Dixerat, omnipotens læuâ Pater intonat altè,
Clarisonâque probat uatis tum carmina uoce:
Inuitæ uirides rupêre silentia siluæ:
Mirantur faciles Nymphæ, mirantur & amnes.

FINIS.

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI, EPISCOPI VXENTINI,

REGNVM.

QVAE poſtrema tuis cecinit memoratus in oris
Ille idem uates, ingens Regnator aquarum,
Arua Tridentinæ florent quibus aſpera uallis,
Aut memora, aut memorare iube Pater optime natam,
Cætera quæ nuper dixit perdocta canendi.
Haud mora: Callirhoë uatis ſic promere dicta
Orſa eſt, Callirhoë ſuperis gratiſſima Nympha:
Cùm cœli medio iam ſol audiret ab axe,
Audirent nemora, audiret chorus ipſe ſororum;
Auræque ætheriæ ferrent ante ora Deorum.
Aetherij proceres Regni; quod ſummus Olympi
Regnator ſtatuit, cùm res proferret in ortum,
Et genus humanum terreno ſemine cretum
Conderet; atque illi cæleſtia flamina uitæ,
Et decus æternum, pulchróſque afflaret honores;
Diceret &, ſobolis longæuæ ut ſæcla propagent;
Accipite intenti, docuit quæ carmine uates.
Vt primùm aerias hominem produxit in auras;
Elyſiis poſuit, felix qui regnet, in hortis

Omnipo-

Omnipotens pater; ac regnando seruiat uni
Ritè sibi: legémque dedit, præceptáque uitæ
Seruandæ, æterno lætóque fruatur ut æuo.
Ni facciat, reddat quàm primùm obnoxia morti,
Nec non multimodis terrestria corpora morbis:
Excitet æterni interiùs certamina belli:
Humani sensus diuinæ mentis omittant,
Mandata; & rectæ rationis iussa recusent
Corporeæ uires, atque arma inimica capessant;
Imperiúmque altâ dudum regnantis in arce
Contemnant animi: quin immò sub iuga mittant,
Seruitióque premant deuictum Marte superbo:
Tum libertatem confossam uulnere multo
Conculcent: regnúmque inuadat dira cupido.
Nil sibi terrarum toto seruârat in orbe,
Quod non omnino, ut domino, substrauerit olli.
Aspectu perpulchra arbos tota arua per ampla
Vna excepta; boni atque mali quæ prædita sensu
Mala daret: uetita hæc multis de millibus una est.
Nimirùm hæc frustra mortalia cura remordet
Pectora; solicita hæc prudentia causa malorum.
Multáque prætereà quondam post sæcla daturum
Se prolem unigenam mortali è stirpe nepotum;
Vnica quæ sibi iampridem diuinitùs orta
Susciperétque hominis formam, uocémque sonaret,
Promisit Deus ipse parens, & regna teneret:
Tam se in delicijs hominem lætatur habere.
Inuidit, summo cecidit quæ bellua cœlo,
Bellua terrifici s ante omneis horrida monstris,

Effera,

Effera, dira, malum, quo non immanius ullum;
Cùm se se obijceret Diuûmque hominúmque satori,
Et magni imperio Regis parêre negaret,
Belláque prætereà furijs agitata moueret;,
Arctoo solium positura in uertice Olympi:
Vndè in Tartareas sæuit deiecta latebras
Impia, dat pœnas, æuum quoque in omne datura.
Inuidiâ illa, inquam, rabidâ tum percita, & ambris
Educta è stygijs blandum mutatur in anguem,
Arboris exceptæ spiris immanibus omnem
Inuolens truncum, pulchrámque aggressa puellam
Connubióque uiro iunctam, propriéque dicatam,
Fortè per Elysium spatiantem, & mala legentem,
Falsiloquis dictis sic stipite fatur ab alto.
Huc ades ô pars lecta uiri, & permagna uoluptas;
Aspice, qua certè non altera pulchrior arbos,
Aspice, quam multa exhilarant mala aurea ramos.
Cur ea non carpis? qua relligione teneris?
Qui dedit hæc nobis genitor perpulchra uireta,
Illa infit, uetuit: Regis mandata tuenda.
Stulta es, stulta inquit: quænam sit in arbore uirtus,
Ignoras: similem Dijs te redderet illa
Vescentem: quicquid turpe est, & quicquid honestum,
Perspiceres: id seruarûnt sibi numina Diuûm.
Iámque dolis capta, illecebrísque inducta uirago,
Mala manu legit cupidâ, iucundáque sensu
Repperit; & uescenda uiro dedit improba coniux.
Accipit imprudens, auidis & faucibus haurit.
Ah malè caute pater; quæ te tam dira libido

Impu-

Impulit in uetitum? quæ tanta insania cepit?
Non tibi sat fuerat tutum per sæcula regnum,
Aginéque immenso lætantes cernere coràm
Natorum natos, prolémque exinde nepotum,
Et curis uacuam immortalem degere uitam?
Nudus eras: mentem inuadit pudor: atque uerenda
Fronde tegis: Diuûm aspectum fugis: auia quæris.
Tum pater omnipotens hominem miseratus, amictu
Contextæ uillis tunicæ circundedit artus.
Est medijs auri semper frondentis in aruis
Arbor opaca, ingens, cui nunquàm deficit umbra,
Nec læti fœtus æternæ pabula uitæ.
Hos ille infelix auido ne carperet ore
Propagaturus uitalia sæcula quondam
Ne formidaret lethalia uulnera mortis,
Elysio inuitus tempúsque exclusus in omne
Actutum eijcitur solas telluris in oras,
Telluris nil iam nullo poscente ferentis,
Præter quàm uepres, tribulósque, herbásque frequen
Tum labor insequitur, nec non & turpis egestas, (tes.
Et duro malè suada fames armata flagello,
Solicitíque metus, nigrantíque horrida pallâ
Vis morborum ingens, squalor, tristísque senectus,
Vltrices animi curæ, lethúmque dolórque,
Quin etiam mentis furor, & discordia demens,
Nec non feruentes turbati pectoris æstus;
Vt sibi quisque animi assiduo certamine pugnet.
Naturámque ducem dedit illi maximus auctor,
Et rerum genitor, doceat quæ iura colendi

Numinis

Numinis æterni cælo regnantis in alto;
Et pia sacrificas quæ munera ferret ad aras.
Iam tum uix fratrum florens adoleuerat ætas:
Quorum alter studijs aruorum floruit, alter
Pascendi pecoris; Dijs & gratissimus alter,
Alter despectus: sed opum prædiues uterque:
Inuidia infelix fraterno pectora amore
Exuit, ac terram fraterno sanguine tinxit.
Iam diuersa uirûm commisto semine proles
Orta giganteo superis contendere bello
Ausa est: nec timuit sibi, cùm scelus omne patraret,
Quo Deus omnipotens sæuâ tum concitus irâ
Arduus oppleuit præruptis imbribus orbem,
Purgauítque nefas, & dedecus omne piandum:
Ac uix una domus seruari digna reperta est:
Quæ seruata hominum genus, et genus omne animan
Seruaret, terrásque ingenti prole repleret, (tum
Diuinum coleret numen, regnúmque teneret:
Nautica iam fluctus moles contecta natabat,
Quippe regente Deo, montes superabat & altos:
Caucaseæ tandem præcelso in uertice rupis
Constitit; & sicco exposuit in littore gentem.
Olli Irim affixit pluuio Thaumantida cælo,
Cum sobole humanâ certissima fœdera pacis
Aeternæ, qua perpetuò se sciret ab imbri
Immenso tutam, lætis frueretur & aruis.
Posthac ille uirum numero delegit ab omni
Aßyrium, cuius de semine duceret ortum
Progenies, optata salus quæ gentibus esset

Omni-

Omnibus, ac toto æternum regnaret in orbe.
Hic patrios fines, iucundáque tecta relinquens,
Præcipiente Deo, Syriæ migrauit in oras;
Quæ iam lacte fluunt, & dulci nectare florum.
Hæ promissæ olli sedes, natísque Nepotum,
Postquàm Niliacis seruissent Regibus olim,
Lætáque Pellæi tenuissent arua Canopi.
Tanta apud ætherium fuit illi gratia Regem.
Ad quam nuda Fides, & feruidus ardor Amoris
Profuit, & magnis Spes rebus læta futuris.
Quippe Dei monitis iam tum parêre paratus
Vnigenæ sacras animam fudisset ad aras;
Qui iam mandârat, ni mox uetuisset & idem.
Iam circuncidi iussit genus omne uirile,
Vt circuncidat penitus quodcunque redundat.
Hoc signo gentémque suam, regnúmque notari.
Quod dehinc seruitio ereptum maris alta rubentis
Aequora traiecit, diducto gurgite uasto,
Incolume: hostiles acies, celerésque quadrigas
Corripuit totas, inductísque obruit undis.
Constituítque Ducem, diuinis artibus illud
Qui regeret, legem cœlesti numine latam
Ederet: ut planè nossent, quæ cuique sequenda,
Quæ fugienda essent, Regíque, patríque placerent.
Instituit ritúsque sacros, & sacra ferenda,
Iudicia, & mores, templo qui ritè ministrent,
Qui sacrum peragant, aras qui sanguine fundant.
Iámque quater denos solis in saltibus annos
Aegypto profugos, cœlesti rore fruentes,

Et

Et fœtu uolucrum pergrato pauit Hebræos :
Promissas tandem felices duxit ad oras .
Iámque diu fuerat dux idem , idémque Sacerdos
Nomine cœlicolûm Regis , qui sancta ferebat
Iussa Dei populo: cùm hominum de more petiuit
Ille sibi Regem , gereret qui bella , darétque
Iura sibi . haud animo abiectum se passus iniquo
Ipse dedit Regem summus Diuûm atque homiũ Rex
Vixque Sacerdoti tum sacra ferenda relicta ,
Et responsa , Deus Regi quæ danda iuberet .
Quódque ingens fuerat, quódque unum , tẽpore paruo
In duo post abijt , uirésque amisit , & omne
Paulatim robur diuino munere regnum
Iam quondam florens : tum denique deploratum :
Cùm capti Aßyrijs issent iuuenésque senésque
Seruitum ; atque graui premerentur mole laboris .
Iam uerò ad patrios læti rediêre penates ;
Iámque Sacerdoti summo diuina potestas
Reddita : iam prisci mores & sacra recepta :
Iam tenuis regni uix elucebat imago :
Vnica cùm magno proles æquæua parenti
In terras cœlo teneras demissa per auras ,
Induit humanam mortali corpore formam ,
Deletura omnem fuso dehinc sanguine labem ,
Atque instauratura ingens & nobile regnum .
Quæ deiecta solo patrio , ne regnet in urbe ,
Cui suscepta fuit regali è gente uetusta ,
Sancta alienigenas gentes in sceptra uocauit ;
Et sedem Imperij Latias deduxit in oras .

Gens electa, sacrum genus, heu malè sæpe merendo
Sæpe ingrata Deo sæuas dedit improba pœnas.
Quid memorem, quàm sæpe fremens ignobile uulgus
Obstrepat? ex flauo uitulum sibi conflet ut auro,
Poplite quem flexo diuinum ut numen adoret?
Plurimus ut dextrâ flagrans mittatur ab altâ
Ignis edax, rapiátque nefas candente fauillâ,
Infandúmque absumat opus? gentémque nefandam
Deleat immissum scelerata in uiscera ferrum
Fatiferum, heu tanti sceleris suprema ferentem
Supplicia, & serò Regémque Deúmque timentem?
An'ne ut odoratos Medorum maxima lucos
Pars colat, & pingues inuertat uomere glebas?
Vtque Palestini moueant horrentia bella,
Atque tabernaculũ capiant, sanctúmque profanent,
Quod uiolasse quidem haud quaquàm lætentur ouãtes,
Sed tabe absumpto persoluant corpore pœnas?
Aut crebro Solymis insultet ut improba Idume?
Maximus Aegypti Rex impius irruat, instet,
Sæuiat? Assyrij euertant, teneántque Siona?
Vt Macedúmque duces & sæua caterua Syrorum
Expugnent, capiántque armis furialibus arcem,
Iura Sacerdotum uendant, ritúsque sacrorum
Peruertant, uiolent leges ac templa uetusta?
Vt mox dirus Arabs irrumpat, & occupet urbem,
Ac totum teneat regali nomine regnum?
Deniquè Romanis concedat ut omne priorum
Imperium: ponat fasces, fastúmque superbum?
Quorum fulmineis cecidit gens tota sub armis:

Infelix omneis uenundata fertur in oras.
Ergo, ubi Rex hominũ, Diuûmque, idémque Sacerdos
Induit humanos regali è sanguine uultus,
Bissenósque uiros legit; præcepta salutis
Edocuit, pulchris instruxit & artibus olim
Egregiâ cœtus hominum cum laude regendi:
Instituítque sacra, & ritus, & iura sacrorum:
Ipse prius fecit rem diuinam, ipse litauit:
Dehinc facerent memores diuini muneris, ollis
Præcepit; sociósque dedit, rerúmque ministros.
Tum solio eiectus patrio, passúsque repulsam,
Inque crucem raptus, & funere mersus iniquo,
Conditus & saxo propriâ uirtute reuixit.
Sanguine fundendo iam quæri in sæcula Regnum,
Ponendâque animâ ostendit, summóque labore;
Aeterni ingentem placari pectoris iram,
Purgaríque nefas dirum, & scelus omne piari.
Delectósque uiros diuini numinis aurâ
Aetheriâ afflatos misit, iussítque per omnes
Ferre suum nomen terrarum deniquè fines;
Quæ promittantur, quæ sint credenda, docere;
Quæ seruanda, bona æternæ ad pulcherrima uitæ;
Et rerum fecit cœlo, terrâque potentes.
His ætate grauem, & donis cœlestibus auctum,
Qui cunctis præesset rebus, præfecerat unum,
Et Latij celsam fundaret Tybridis arcem;
In qua perpetuam sibi sedem poneret altè:
Vndè suo cunctis latè ius nomine ferret;
Atque uicémque suam in terris, numénque teneret.

Ille

Ille ad siderei se se ardua culmina cœli
Extulit ex hominum aspectu: omnipotentis & altam
Ad dextram Patris sedet, æternúmque sedebit.
Hi mandata Dei totum sparsêre per orbem:
Sanguinéque effuso cœlestia regna parârunt,
Quâ pater Oceanus cunctas circunfluit oras,
Quâque parens tellus colitur, quàm sidere magno
Voluitur, Hesperias dum sol se condat in undas,
Quàm latè ex Arcto gelidâ deducitur axis:
Vt qui Romuleis iam quondam paruit orbis
Legibus, is planè sanctâ susceperit omnis
Relligione Deum, diuináque munera pacis
Aeternæ, sanámque fidem, ritúsque sacrorum.
Id successores præscriptâ lege secuti,
Flagra per, & cædem, per multáque dum ferendo
Vi magnâ accincti tandem uicêre tyrannos.
Illud idem horriferum, uastáque tricorpore formâ
Monstrum ingens, genus humanũ quod perdere quon-
Cœperat, Elysijsque dolo deiecerat aruis, (dam
Erecto capite exultans regnabat in orbe.
Olli morte suâ, qua mortem uicerat ipsam,
Et uim peccati, prædam detraxit & arma,
Ac post terga manus multo ære, pedésque reuinctum,
Horrentis Barathri tenebroso carcere clausit.
At non infelix hominúmque acerrimus hostis,
Contemptórque Dei teterrimus abstitit irâ;
Aut mentẽ abiecit malè sanam, animúmque superbũ:
Quóque noui imperium Regis se se altiùs effert,
Hoc magis insani crudescunt uulnera monstri.

Regnum.

Effera uis ingens inferni è manibus Orci.
Emissa en furijs permouit pectora Regum,
Qui cæleste Dei nitantur tollere Regnum;
Ac si Romulidum imperium delere pararet.
Heu quàm clade uirûm læti sine more furebant
Insontum? heu quantum turbæ stragísque dedere?
Quid referam? aut totos laniatos duriter artus?
Palmísue abreptos longè in diuersa remissis?
Paulatímue ustos subiectis corpora prunis?
Aut piceâ extemplò flammâ crepitante crematos?
Fluminis aut animam glacie exhalare coactos?
Aut mersos medijs uitam absumpsisse sub undis?
Aut sancta immiti traiectos pectora ferro?
Affixósue cruci? crudeli aut uerbere cæsos?
Quósue ingens lapidum iactorum obtexit aceruus?
Aut quos telorum tempestas obruit horrens?
Quósue cute exutos suscepit regia cæli?
Quódnam immane genus Diuûm sæuissimus hostis
Tormenti non inuenit, quo perderet omne
Et decus & nomen sanctæ indelebile gentis?
Confecto hoc bello magnâ cum pace fruendum
Posteritas Regnum accepit, grauiora malorum
Semina uisura, & peiora incommoda multa
Acceptura. Atem Graij quam nomine dicunt,
Dira, triceps, ingens, horrentibus efferamonstris
Bellua, uipereísque comas implexa colubris
Terrarum latè interdum bacchatur in orbe,
Interdum nebulæ permulto tegmine septa
It circùm furiale malum; &, quem deuoret ore

Immani,

Immani, uestigat; & atrâ condat in aluo.
Iuppiter omnipotens puris deiecit ab astris,
Cùm superis damna inferret, turbámque cieret:
Præcepítque, Deûm ne unquàm sub tecta rediret.
Illa ergo infelix stygijs emissa latebris
Sancta Sacerdotum irrupit mox limina, & altè
Vipereum infudit subter præcordia uirus;
Ac medio è templo exciuit, qui bella mouerent
Intestina suis, & Regum còrda piorum
Ad se pertraherent, secúmque in Tartara ferrent.
Quid memorem portenta nouæ impietatis Arios,
Eunomiósque feros, implacatósque Seueros,
Nestoriósque truces, & captos mente Nicetas?
Quid Pyrrhos? quid Anastasios? quídue Euthychia-
Impia terrifico monstra exagitata furore; (nos,
Scindere qui sectis nixi cælestia regna
Sanguine iam multo parta, assiduóque labore?
Prô quàm Terrigenæ furijs grauioribus acti,
Qui manibus quondam conati excindere cælum?
Prô quàm multa uirûm sanctissima corpora ferro
Demisêre neci? heu stragem quàm sæpe dedêre
Quàm multam, Regni non unâ in parte furentes?
Heu quantum excidium infesti iam exindè parârunt?
Illa ingens Arabum rabies, furor ille nefandus,
Horrida tempestas illa, illa Agarena suborta
Oppleuit latos campos Orientis, & omneis
Terrásque tractúsque maris, totósque bilinguis
Ingentes Libyæ fines, & Punica regna.
Tertia uix orbis fuerat pars ista relicta:

Quam debinc illa eadem haud unâ in regione procella
Euertit, densóque obscurans aëre sepsit.
Heu magni Imperij sedes noua, & æmula Romæ
Antiquæ; heu Romæ iactans memorabile nomen:
Heu genus acre uirûm Thraces: heu Græcia rerum
Inclyta gestarum fama: ô clarissima sanctæ
Astra fide; ò & propugnacula maxima ueri,
Quô decus illud abit? quô lux euanuit illa?
Quem uerò felix illuminat Hesperus orbem;
Incolumémque diu Stygiâ seruastis ab irâ;
En labat, en cecidit non unâ in parte sub hostis
Imperium Arctoo dudum impellente furore.
Aspicite, ut monstris accincta ingentibus Ate
Teutonicos fines bacchis comitata pererret;
Inque dies latè uires acquirat eundo;
Pæonas auricomos inuadat, & ultima ponti
Frigora, qua latos colit asper Sarmata saltus;
Et miseros rabido totos uoret ore Britannos;
Pertentétque urgens pia quondam pectora Gallos.
Quare agite, ô magni proceres, defendite uestra
Arma implorantes: arcete impunè furentem,
Eijcite, exuite amentem infelicibus armis.
Festinate Patres: quæ uos tam sera moratur
Segnities? cur non diuina capessitis arma?
Iustitiæ triplicem loricá ex ære rigentem
Induite, atque ocreis circundate crura pedésque
Vulgandam ad pacem; galeámque salutis amatæ
Indite mox capiti: ueri iam baltheus ingens
Cingat utrunque latus: laterique accommodet ensem

Fatiferum

Fatiſerum tum quiſque ſuo; quo ſpiritus ardens
Inferat inſtando lethalia uulnera, & hoſtem
Horrentem, hoſtiléſque acies in funera raptet;
Nempe effata Dei ueſtri, atque oracula uatum;
Pulchra quibus nunquàm non eſt uictoria parta:
Ardentémque fide, ſeptémque ex orbibus altè
Implicitum, læuâ clypeum dehinc ſumite: ut omnem
Non modò uim belli hoſtilem perferre queatis,
Ignea ſed longè coniecta extinguere tela.
Bellum horrendum, anceps; quo non ingentius ullum,
Summo conſilio, & ſummâ ratione gerendum:
Præque potens rerum, nec non deterrimus hoſtis;
Qui cum pugnandum eſt; quem debelletis oportet.
Vita agitur ſuperúmque fidem, ueſtrámque uocantis
Iam iam raptandæ, aut raptæ iam in uincula plebis:
Pro qua ſeruandâ cœlo deſcendit ab alto,
Occidit & uitâ Diuûm Rex ipſe profuſâ.
Ius agitur ueſtrum antiquum, & ſuprema poteſtas:
Sacrati cœtus agitur uectigal opimum,
Diuini cultus columen, templi ornamentum.
Veſtra ſalus agitur: magno in diſcrimine regnum;
Ne totum omnino pereat: ſumméque cauendum,
Improba uis ardens ne demum tranſeat alpes;
Italiam irrumpat; totámque à ſedibus imis
Eruat (auerte hanc peſtem Pater alme Deorum)
Et ſanctum pedibus ſolium terat alta profanis:
Néue Pyreneos tranſmittat concita montes:
Quamuis Heſperij uigilet Rex optimus orbis;
Nec ceſſet monſtro magnas opponere uires.

Quæ mora uos retinet proceres? quâm mente quietâ
Hæc ipsi aſpicitis? num lumina claudere ſomno
Hac tantâ in rerum nunc tempeſtate poteſtis?
Illa, illa en uobis delenda eſt maxima labes:
Si uos tangit honos, ſi uobis gloria cordi eſt.
Cùm uigilum curâ, cùm defenſore careret,
Occidui amiſſa eſt heu pars iam plurima regni.
Hoc ueſtro damnum uitio, atque hoc dedecus omne
Suſceptum perhibent: in uos nam crimen id ipſum
Confertur, ſi iura Dei, ſi tradita ſacris
Elogijs, ſi effata patrum contemnitis, aut iam
Accipitis ſecùs, atque ipſi accepêre priores.
Legibus exponunt Latijs qui dicta Deorum,
An quorum munus uerſare uolumina ſancta,
Et ſtudio ingenti uerum indagare, probandi?
Humanum in morem tractant qui iura, colúntque,
His quinam poterunt unquàm diuina patêre?
An non aſſiduè ueſtras hoc uellicat aures?
Neſcio quæ iam libertas auctoribus iſtis
Plus æquo iuris laxas dare cœpit habenas,
Vimque ſuam extendit, rerúmque induxit abuſum.
Intimus hic hoſtis: qui, dum blanditur, & aures
Oblectat, mulcétque animos, ſoluítque pudorem,
Arctoas acies heu ſæua coëgit ad arma:
Quæ iam nunc paſſim furijs agitantur ouantes.
Romanos rerum dominos hic perdidit olim:
Hic & Perſarum, Babylonis & inclyta regna
Euertit: Macedûm hic perfregit ſceptra potentum:
Vt taceam Hebræos, ut Graios nomina clara,

Vtque Canopæos angusto limite fines:
Hic nunc imperium conatur perdere uestrum.
An non & faciat, nisi depellatur ab aulâ,
Pernicies rerum uestrarum, & dulce uenenum;
Quod non antè capit sensus, quàm in uiscera uirus
Incidat? en sancti proceres miserescite uestri:
Et, præcepta Dei quæ sint, agnoscite tandem,
Et quàm præcipua curâ, studióque tuenda.
Induite en magni cælestum pectora Regis.
Exuite humanos animos; quæ blanda uoluptas
Affectat; quæ uestra optat præfracta cupido;
Abijcite: & quæ sola Dei laudémque decúsque
Attingunt; his de rebus contendite toto
Concordes animo, atque obliti commoda uestra.
Hæc belli ratio, mihi credite, sola gerendi est,
Vincendíque inferni hostis, regníque parandi.
Tu PIE *sũme Pater, tu princeps maxime* QVARTE
Niteris hoc ipsum, haud dubito, hæc tua certa uolun-
Rumpe moras, socios hortare, impelle sedentes (tas:
Segniter, in cœtum quos iam tu ritè uocasti
Hanc ipsam ob causam, non qui sic mollius usque
Rex alias agerent, tererent & tempora frustra;
Non quos diuersos raperet sententia discors
Diuina oblitos, sua quenque, humana petentes.
Te decus Insubrum, te nunc MORONE *piorum*
Præsidium appello, cælestis gloria Regni
Maxima, cui rerum mandata est summa potestas,
Quíque fores templi sustentas cardinis instar,
Conciliúmque regis iandudum fluctibus actum.

 Perge,

Perge, ut cœpisti, uigila, connitere totis
Viribus, in portum contendat Pontica pinus;
Vnanimes coeant proceres in fœdera sancta;
Cúmque hoste infenso sumptis, quæ diximus, armis
Bella gerant, populi pro libertate tuendâ,
Pro tot seruitio iam pressis, proq́ue salute
Expectatâ inopum, optatâ pro denique uitâ,
Regna recepturi, quæ nunc tenet impius hostis,
Instaurent magni iam diruta mœnia templi;
Verriculum reparent sanctum, cymbámque reducant
Incolumem; assiduo renouent uineta labore;
Abductúmque pecus Romana in septa receptent:
Ipsam Atem, ipsúmque ingens sub Tartara monstrú
Aeterno trudant constrictum robore ferri
Te duce: laus uni hæc demum tibi summa relicta est:
Quæ te sustulerit sublimem ad sidera cœli.
Hæc ille. intentæ cuncta excepêre sorores:
Condita quæ Diuæ iam alto sub pectore seruant.

FINIS.

ANTO-

ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI, EPISCOPI VXENTINI, SAGENA.

Si patrios, Nymphæ, læti celebramus honores
Naiades Nymphæ, Diuûm genus, humida regna
Quæ regitis, genitor fluuio qua fertur amœno
Arua secans Athesis cælo gratissimus amnis;
Ingenti studio canimus si munera uestra
Piscandi doctæ; calamis seu fallere pisces,
Seu latè undiuagos circúndare retibus amplis,
Siue & uimineis libeat concludere nassis:
Pergite, quæ dixit uates, expromere cantu:
Iam tacet omnis ager, iam uenti, amnésque silescút.
Quos piscatores hominum maris æquore uasto,
Omnipotens posuit summi Regnator Olympi,
Alloquor: audite, atque animos attendite, & aures.
Retia densa plagis dedit ille, adiunctáque raris,
Quæ teneant udo quantouis corpore nantes
Impellente Deo, nutúque suopte cateruas;
Accinctámque ratem fulgentibus armamentis,
Quæ magnos superet fluctus, sæuásque procellas
Ventorum, erumpant siquando carcere cæco,

Horri-

Horrificos tollant undarum ad sidera montes.
Bissenos legit iam multo ex agmine sancto,
Qui cymbam regerent, iactarent retia in altum,
Aequoreas facerent prædas, tutásque tenerent.
Illo de numero cunctis præfecit & unum,
Dirigeret cursum ratis, ad clauúmque sederet
Qui uigilans. hic ille quidem, qui Tybridis arcem
Adseruat, flauóque altè piscatur in amne.
Adscripsit comites, qui tuta ad littora iactum
Rete trahant læti; ínque sinus, orbésque rudentes
Collectos stringant, effundant deinde solutos;
Insurgant remis; noctésque, diésque laborent.
Quid memorem? aut quot flumineas ad littora prædas
Principiò uertant ex alto, quótue marinas?
Tu mihi Iordanes, pulchro tu flumine testis,
Cœlicolûm Regis sancto dignate lauacro,
Tu Rex humentum Iordanes maxime aquarum,
Alma Palæstinis quibus arua rigantur in oris,
Qui Rhodani superas fontem, qui flumina Gangis,
Qui magnorum omnes fluuiorum uincis honores,
Ante omnes summum famâ super æthera notus;
Quíque Syrum ablueras sanctè, labémque pudendam
Abstuleras olli extergens, nitidæque iuuentæ
Purpureum addideras lumen, pulchrúmque decorem.
Vósque lacus Syriæ piscosi, uos mihi testes
Iudaicis noti iam lembis, quíque marino
In primis fluctu assurgis, latéque cieris,
Colloquióque frui diuino, effatáque suetus
Sancta audire Dei, uatúmque oracula quondam.

Id

Id quoque teſtantur rapido labentia curſu
Flumina, præpandens ſeptem magna oſtia Nilus,
Aethiopúmque ſecans campos; & Medus Hydaſpes;
Sæuus & aligero Tigris pernicior Euro;
Euphratésque ingens; illóque ingentior Indus;
Stagna choris uolucrum lætis iucunda Caiſtri;
Et gelidus leni qui labitur agmine Cydnus;
Quíque fluit, refluítque frequens Meander, & aruis
In Phrygijs ludit; nec non Aeſapides undæ;
Qui pharetrâ gaudens pontem indignatur Araxes;
Sperchiúsque minax; & adhuc Peneus in antro
Vndiſono deflens mutatam in littore natam;
Nec non & natam ſurgentem in cornua plorans
Inachus, & Muſis gratæ Permeſſides urnæ,
Hebrus Calliopæ inuiſus, Tanaísque niualis;
Et flauens Hypanis; fontésque binominis Iſtri;
Sequana lenis, Arar lentus, Rhenúsque bicornis.
Nam quid ego Heſperiæque lacus, amnésque ſonátes
Appellem? Sybarim dulciſſima in otia natum,
Auricomum Crathyn, lapidoſas Aeſaris undas,
Mirandámque urnam Silari, Sarníque ſalicta,
Et qui lætatur pulchrâ Sebethide lymphâ,
Quíque premit rapido Stellates flumine campos,
Quíque fluit tacitè per pinguia culta Maricæ,
Quíque tenet laticum iam cuncta humentia regna,
Prole Deûm felix Thuſcis qui regnat in oris,
Et Regem Eridanum, & Ligurum qui ſeparat arua,
Diuidit extremo alpinas qui limite gentes?
Nec te prætercam, te uaſto, maxime Lari,

Gurgi-

Gurgite, Pieridum decus immortale sororum,
Aequoreo nec te fluctu Benace frementem.
Quæ Tartessiacos percurrunt flumina fines
Num prætermittam? aut qui nomine signat Iberos,
Aut olca albenti præcinctum tempora Bœtim?
Aut qui fluctiuagum uoluens allabitur aurum?
Quid maria, & quicquid latè maria omnia cingunt?
Non testantur idem? Nam cunctas cymba per oras
Oceani, cymba alma Dei, cymba illa uagata est
Piscandi, longè cratere Hyperionis aureo
Clarior, occiduas Gades effunditur extra
Aequore quâ uasto, Gallorúmque alluit urbes,
Et totos Latio disiungit ab orbe Britannos;
Quâque Afros ambit; nigros quâ fertur ad Indos
Quâque intra latè tractus complectitur amplos.
An'ne sinus Libyæ referam? an telluris Iberæ?
Qui Ligurum scopulos, qui Gallica saxa recuruant?
Quódque mare Italiam suprà, quódque alluit infrà?
Quod triquetros reboans circunfluit undique mõtes?
An memorem Ionios fluctus, æstúque sonantes
Vndifrago Aegæos, & Carpathium Neptunum,
Myrthoúmque fretum; & quâ se diffundit in oras
Ingentes, Asiæ quâ se intra angusta coërcet
Limina, & Europæ, ac rapido fluit æquore Pontus?
An referam Cilicum: aut quorum Syrus accola, sæuo
Littora pulsa mari: aut portus Cepheidos urbis
Antiquos, prisco quæ nomine fertur Ioppe?
Prætereámne sinus Arabum? aut Perseidos oræ?
Ostia Pellæi num fortunata Canopi?

Tam

Tam multas igitur non uno in littore prædas
Egêre; atque unum compulsas rete tenebat
Cælicolûm Regi; seruaret ut indè, placerent
Qui magis, ille domi æterna in sæcula lectos;
Deijceret contrà tenebrosa in Tartara prauos.
At quod non sciderant prægrandia corpora Phocæ,
Monstrum immane, nouum scidit effera bellua ponti
Dente uenenato, multâque in parte resoluit;
Et sua paulatim abductos in retia traxit;
Quæ longè uarijs uafra arte tetenderat oris.
Iámque lacus omneis Asiæ, iam flumina tota,
Omnia iam maria, & Libyæ flauentis arenas,
Quódque intra labentis aquæ, quódque effluit extra,
Occupat hoc omne; atque suo conuoluit ubique
Piscandíque locum latè, portúsque reductos
Verriculo, & uestram non unâ in parte sagenam
Europæ abrodit lethali uulnere adacto.
Iámque quod occiduo integrum retinebat in orbe,
Seruarátque diu piscantum maxima cura
Non unâ scindi cœptum in regione nefandi
Vi monstri multa, & deperdere cuncta parantis
Regna Dei, totámque sibi iam abducere prædam.
Et faciat tandem, nisi neglexisse resolui
Retia uos pigeat, captósque amittere pisces.
Quis uestrûm Rhodani, qui Rheni flumina circum,
Aut quis fluctisonis Istri piscatur in oris?
Nunquis in Oceano, qui Gallica terminat undis
Horriferis reboans, atque arua Britannica cingit?
Quid? uestra hæc ingens, hæc piscatoria pinus

Sagena.

Piscibus amissis, auróque & rebus onusta,
Quas adeò Diuûm regno præferre soletis,
Quàm gemit in medio non æquo pondere fluctu:
Quo quassata quidẽ nondum ullâ in parte refecta est?
Inque dies grauiora urgent discrimina ponti:
Aspicite: insano stridens Aquilone procella
Aeratam in proram ferit, in latera ardua, & æstu
In breuia, in scopulos, in saxa latentia torquet
Abreptam; illisámque uadis tenet aspera cautes.
Iam puppim inuadit, uirésque intendit; at ille
Qui clauum tenet, inuigilat, fluctúsque frementes
Præcauet; horrisonâ puppim ipsam auertit ab undâ.
Quin etiam præstò est prædonum littora propter
Dira manus, rapiant qui longo tempore gazas
Quæsitas studio ingenti, summóque labore:
Vt quicquid rapidi uitauerit æquoris iram,
Ne furum fugiat rabiem, ac sæua arma furentum.
Quare agite, ô quorum iactatur nautica pinus
Fluctibus horrificis, affixa & cautibus hæret;
Surgite, & enixè ualidis incumbite remis;
Eripite hærentem congesto ex aggere contis,
Eripite ex scopulis; ereptam ducite in altum;
Linquite arenosum littus: considite transtris.
At non antè potis duci, quibus illa grauatur,
Quàm ui onerũ ingenti, & nimiâ grauitate leuetur.
Proijcite en onera, & lembi curate salutem.
Non alia spes ulla datur: furit æstus arenis:
Saucius heu uento malus, pressæque gemiscunt
Antemnæ, & rabidis scinduntur lintea Cauris:

Flamina

Flamina crebrescunt: concussa carina fatiscit.
Quæ mora? uestra salus agitur: contendite neruos.
Otia quid frustra teritis? renouate sagenam:
Instaurate pedem: cymbam reparate solutam:
Retia iactate; & magno præcingite prædam
Aequore adhuc nantem; & cautè retinete receptam;
Ne quisquam pereat uili proiectus in algâ:
Piscandi legem seruate, & nautica iura:
Quod iam seruatur, studium curámque tuendi
Ponite; & hoc ipsum contendite pectore toto.
Te PIE *Magne Pater diuino numine* QVARTE
Prædite, te moueat pietas spectata, fidésque
Illa tua in Regem; paret cui maximus æther;
Quémque refers terris rerum tu summa potestas;
Illa inquam pietas, qua uero nomine dictus
Ipse PIVS *latè cælestia regna gubernas,*
Excitet in summo te nunc discrimine rerum.
Rector ades, moderator ades: succurre labori
Piscantis cymbæ, multo quæ fluctuat æstu:
Succurre & miseris: totâ qui nocte laborant
Nequicquàm, & lugent amissam in littore prædam.
Rumpe moras omneis: quæ' nam tam longa moratur
Causa diu nautas, quod pinum auertat ab æstu,
Ne reperire queant, pellátque horrentia monstra;
Verriculũ instauret, prædámque, & regna receptet
Humida? castiga segnes, & dirige cursum.
Id nunquàm inuenient, dũ & opes et cõmoda quærent
Quisque sua: inuenient, si quærent, quæ Deus optat.
Ne dubita: ipse aderit magni Regnator Olympi.
Magnorúmque

Magnorúmque aderunt sanctissima numina Diuûm:
Qui peperêre suo tibi sanguine Tybridis urbem.
Id lacbrymísque rogât omnes, precibúsque reposcunt,
Retibus inuitos claudit quos impius hostis:
Id maria, id clamant amnes, id littora cuncta:
Da Pater en faciles longùm clamantibus aures.
Vix ea fatus erat: uox clara ex æthere summo
Audita, & sidus uisum fulgore corusco:
Extemplò ingemuit tellus, cœlúmque remugit;
Contremuêre lacus, fontésque, & flumina circum:
Candida lætantes stupuerunt pectora Nymphæ.

FINIS.

AMTO-

AD ILL. CARDINALEM ET PRIMARIVM
Tridentini Concilij Præsidem,
IOANNEM MORONVM,
ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI EPISCOPI VXENTINI.
CONCORDIA.

TE MORONE *canam magnis dicende camœnis,*
Aetherij columen Regni, summúmque sacrati
Præsidium cœtus: tenuem ne temne Thaliam
Iam maiora suis aggressá uiribus acta
Dicere, & immensos laudum percurrere campos.
Aspice, quicquid id est, animum mentémque canétis:
Qui te prosequitur propenso pectore toto:
Vt spectare solent, habitant qui culmina cœli.
Dicite, quæ fluuios colitis, quæque arua Tridenti,
Flauentes Nymphæ, uobis quæ tanta canendi
Causa fuit? quæ complerunt noua gaudia mentem?
Dulcia quæ pulchro fudistis carmina cantu,
Lux hesterna diem cùm iam produceret almum?
Expectata diu felix Concordia rerum
Lætitiam ingentem terrarum inuexit in orbem;
Quantam nondum unquam: non post ciuilia bella;

Concordia.

Cùm ſurrexiſſet & toto gens aurea mundo.
Omnipotens uigor ille Deus, Deus omnia complens
Sedibus ætherijs deſcendit ſpiritus ardens,
Sedauítque Patrum diſcordia corda ſedentum;
Concilium magnis qui tum de rebus habebant;
Flamine cæleſti ſanctum inſpirauit Amorem;
Vnanimes ut idem uellent, unúmque uolentes,
Concordésque eſſent uno ſub numine ſummo.
Quem mox Cælicolûm perpulchra caterua ſecuta eſt,
Ante omnes uolitans hilaro Pax candida uultu;
Alma Charis fundens latè cæleſtia dona;
Nuda Fides reſerans limen candentis Olympi;
Altáque cæleſtum Regno Spes læta futuro;
Immortale ferens ægris mortalibus æuum,
Aeternúmque decus diuini mater Amoris;
Sanctáque Relligio ſcelerum ſine more furentes
Extinctura faces, & concita pectora Patrum
Sedatura, piósque animos, morésque priores,
Et iura, & ritus inſtauratura ſacrorum;
Iam ſecura Quies promittens ocia feſſis;
Et pergrata Salus, qua nil optatius unquam;
Magnáque præfulgens auratis Gloria pennis;
Copia tum rerum; & genitabilis ætheris aura
Multa uehens auidæ pulcherrima ſemina terræ;
Vndè ea fæcundis paſſim lætatur in aruis,
Sponte ſuà omnigenos multo fert ubere fœtus.
Ipſi ſe fluuijs auctos maioribus amnes
Mirantur, primóque ipſi de limine fontes
Fundere ſe plures per prata uirentia riuos.

Ac pater humenti flauens Athesinus arenâ
Fronde caput glaucâ præcinctum protinus undis
Extulit, & patrijs natas exciuit ab antris,
Mollia carpentes alias tum uellera Nymphas,
Versantes alias candenti pollice fusos;
Quæ festúmque diem celebrent, habeántque canentes
Semper honoratum, lætúmque per arua, per amnes;
Nuncius ut primùm teretes peruénit ad aures
Decreuisse Patres concordi pectore tandem,
Decreuisse inquam, rerum quod tollat abusum,
Custodésque ouium diuino iure creari,
Perfungíque suo præsentes munere cogi
Edoceat; pœnam adscribat, mulctámque minetur.
Id plebs, id Reges ipsi, procerésque rogârant.
Id totus uulgò expectans optauerat orbis.
Continuò læti palmas ad sidera tollunt;
Acceptum id referunt superis iuuenésque senésque:
Templa adeunt Diuûm; cumulántque altaria donis;
Dicere nec laudes cessant, nec reddere grates;
Exercéntque choros pueri, innuptæque puellæ:
Naiades ludunt, per mollia prata choreas
In numerum: quarum fandi doctissima uirgo
Calliope sic orsa: iterant postrema sorores.
Vicisti tandem, uicisti maxime Præses,
Italiæ MORONE *decus, templi optime custos;*
Te Duce iandudum ueri teterrimus hostis,
Vndè olim exierat, stygias remeauit ad undas;
Et, quæ turbârat sanctissima pectora Patrum,
Auspicijs deuicta tuis Discordia demens

Concordia.

Abscessit fugiens, séque atris abdidit antris.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Improba Tartareis iampridem emissa tenebris
Bellua, quæ dirum subter præcordia uirus
Transalpes fundit bacchata per arua, per urbes,
Et capite erecto, sublato & pectore serpit,
Vestigátque inhians, rapiat, quem gutture uasto,
Se lætata diu turbam, cladémque dedisse,
Grande supercilium tristis, mentémque superbam
Demittit, uerita amittat ne regna furore
Parta suo tandem, prædâque recedat omissâ.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Scilicet id, cuncto latè qui præsidet orbi
Nomine cœlicolûm Regis, molitur, & optat;
Id studet; id totis contendit uiribus usque.
Hanc certè ob causam, CHRISTI *qui numine sancto*
Afflati lætis pascunt in montibus agnas,
Ex omni cœtum regione acciuit in unum:
Quæ deiecta polo Ditis penetrauit ad oras,
Et nunc turbat humum monstris horrentibus, Ate
Vt terras linquens Barathri se condat in umbras.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Hoc tibi nitendum, ut fugiat sæuissima pestis
Consilio depulsa tuo, & cœlestibus armis,
Quæ sumpsêre Patres, totis exutáque castris;
Disiectúmque gregem mox ipse in septa reducas.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Quæ superis CHRISTVM *enixè detrudere regnis*
Conata est, tanti quæ iura resoluere Regis,

Fásque,

Fásque, piúmque umbris inuoluens noctis opaca
Excidium cælo, terris genus omne minatur
Dira mali, exitium rerum ſententia diſcors
Te fugit, & longè tandem pauefacta recedit.
Dicite Pegaſides, diuinas dicite laudes.
Iam redit & uirgo, redit & ſententia concors,
Aurea iam redeunt Saturni ſæcula; iámque
Ritè colet ſuperos candenti in ueſte Sacerdos
Sacra ferens; ducet pingues ad pabula paſtor
Tutus oues paſſim; tutus ſeret arua colonus;
Infodiet lætas, committétque ordine uites
Vinitor; æquoreas exponet littore prædas
Piſcator; populis ſummâ cum pace uocatis
Iura dabit rector, pacatáque cuncta tenebit.
Dicite Pegaſides, diuinas dicite laudes.
Quàm multa infelix rerum Diſcordia Regum
Nomina deleuit prorſus? quàm multa potentum
Sceptra olim effregit? quot maxima regna reſoluit?
Quid memorem ut Spartam; ut Graiorum lumen A-
Vt ſummas Macedûm uires orientis in orbe; (thenas;
Medorúmque ut opes magnas, & nobile regnum
Eruit? Imperium, quo nec præſtantius ullum,
Nec maius toto ſol aſpectauit ab axe,
An non Romulidum iam ſede euertit ab imâ?
Dicite Pegaſides, diuinas dicite laudes.
Plurima ſed quondam erexit pauperrima regna,
Extulit & fama Reges, & ſceptra potentum
Aurea firmauit felix Concordia rerum.
Quid referam, ut Libyæ neglecta mapalia ſummo

Imperio attollens circundet mœnibus altis?
Vt latè illustret Persarum ignobile nomen,
Ac regni dominos Eois ponat in oris?
Vt genus obscurum Latij sic præferat unum
Omnibus, ut cuncto id rerum potiatur in orbe?
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Nox erat in rebus, tenebrásque offuderat atras,
Abstulerátque diem, densâ caligine cæcâ
Conuoluens, circùm nigrans uolitauerat umbra
Cuncta tegens, claræque obscurans lumina mentis:
Cum stygijs cœlum, terrámque obduceret alis
In diuersa animos rapiens sententia discors.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Sol rebus lumen defert, tenebrásque resoluit,
Optatámque diem nobis, lucémque reducit,
Explicat & ueri uultum caligine pulsâ;
Obscuram illustrat mentem, procul amouet umbram,
Vt cœlo concors sententia uenit ab alto,
Te ueniente Pater, totum detexit & orbem.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Ostia si quando felicis ad alta Canopi,
Longiùs aut etiam nigros mercator ad Indos
Aduecturus opes natis migrauit; Eois
Flatibus aut Eurus magni maris æquor arantem
Quem uetat ad patrios celerem remigrare penates,
Africus aut se se obiectans stridentibus alis:
Sedula tum coniux, uacuâ quæ mœret in aulâ,
Expectánsque uiri reditum, uotísque fatigans
Supplicibus Diuos, placari Nerea poscit

Iratum,

Iratum, lachrymis oculos perfusa decoros.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Sic te uoce pia, tota sic mente petebat
Concilium: his optans precibus te sæpe uocabat.
Instar habens sponsi, & summi Rectoris imago
Exoptatus ades: sponsam solaris amantem.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Aspice, quàm pulchram lectâ de fronde coronam
Sponsa parat miro superans candore columbam,
Ornatúque nitens uario, circúndata & auro,
Atque pudicitiæ puro suffusa rubore,
Vnica, & ipse Deus summè quam diligit unam.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Tantis pro meritis mittit tibi serta decora;
Qualia nec palma uictrici diues Idume,
Nec myrtheta Cypri, Phœbi nec gloria laurus,
Nec qua pacali lætatur fronde Minerua.
Aut quæcunque uiris aliæ dant præmia syluæ.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Alma Tridentinis tellus de collibus altis
Munera quæ mittet tantâ pro laude, paratur
Quæ sibi, te duce cùm felix Concordia uincat?
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Vellere sidereo, pectunt quod ab arbore Seres,
Contextam pulchrè chlamydem doctissima Phote
Dædaleâ distinxit acu, præclara tuorum
Acta auro, laudésque tuas & maxima facta
Intexens: auro insignem flammásque uomentem
Gemmarum ætherias fecit, lætámque smaragdis,

Et lapidum uario ornatam fulgore tiaram.
Hîc dulces Mori fœtus candore niuali,
Hîc & sanguineos pinxit, frondémque uirentem,
Tenuia qua pendens molitur stámina bombyx.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Aspice, quàm magnâ se se populúsque Patrésque
Lætitiâ effundant, summis te ad sidera tollant
Laudibus, & lætæ plaudant per compita matres.
Salue fausta dies, qua non felicior unquàm
Altera: prima dies tantorum causa bonorum
Salue: tu nostris celebrabere semper in oris,
Calculus & niueo insigni te rite notabit.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Vt, cùm Phœbus abest, summóque abscedit ab axe
Aethiopum pingues iam descensurus ad aras;
Ventorum cæcis erumpunt agmina claustris,
Horrisono stridunt perflantes turbine pontum:
Sæuit hyems; udum contristant nubila cœlum;
Lux fugit; insequitur densis nox atra tenebris;
Luget humus; nebulosa palus tegit omnia limo;
Concrescunt glacie, populantur flumina campos;
Sylua comam ponit; arescunt pulchra uireta.
Sic te absente nihil passim non triste uidebam.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes,
Vt, cùm Phœbus adest, summúmque ascendit ad axē
Inflammaturus curuantem brachia Cancrum;
Placatur pontus; uentorum flamina ponunt,
Aeoliâ uinclis arctè stringuntur in arce;
Cedit hyems, puro lætatur lumine cœlum;

Lux

Lux redit; eijcitur pulsis nox atra tenebris,
Gaudet humus; limosa palus dat pascua læta;
Exoluunt glaciem, fœcundant flumina campos;
Sylua comam sumit: florescunt pulchra uireta.
Sic tuus exhilarans aduentus cuncta serenat.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Accipe quas apprima preces ex pectore fundunt.
Quæ cupiunt, totis animi quæ uiribus instant
Poscere: si dentur, Requies sit certa laboris,
Exoptata Salus, & Pax accommoda rebus;
Colliget infelix se se Germania mater,
Támque diu toto se cœlo errasse pigebit.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Adsis magne Pater, finémque impone labori
Tam rectè incepto: nostri uestigia restant
Siqua mali, tandem soluant formidine terras
Irrita: qui reliquus, rerum tollatur abusus.
Concilium statuit quæ sancto numine ductum,
Sint rata, uenturúmque omne adseruentur in æuum;
Sponsa Dei ueterem accipiat renouata nitorem.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Iam Transalpinis æternùm in saltibus errent
Abductæ pecudes; horrenda caterua luporum
Ah miseras passim totas uoret ore cruento,
Faucibus excipiat catulos teterrima siccis
Bellua uel Diti, turbæque inuisa sororum:
Impietas gaudens Arctoo regnet in orbe.
Si tam dulce malum dominari pergat abusus.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.

Concordia.

Dulce malum ualeat, ualeat deterrimus hostis
Ingenti uirtute tuâ, cui magna potestas.
Abductas pecudes Romana in septa receptes;
Extemplò fugiat perterrita turba luporum,
Bellua Tartareas repetat depulsa latebras;
Relligio redeat, quam iam coluere priores;
Ac Pietas toto exultans dominetur in orbe.
Dicite Pegasides, diuinas dicite laudes.
Quare agè, magne Pater, felici numine cœpta
Perfice: quô tendit, subeat tandem ostia nauis.
Tunc perfecta tibi dicatur gloria rerum:
Quam tibi certè uni Deus ipse in sæcula seruat.
Illa tibi celebris sacrabitur, illa quotannis
Festa Dies: ludent faciles per littora Nymphæ.
Tunc uos Pegasides tantas absoluite laudes.

FINIS.

AD

AD BONVM CERRVM, ANTONII SEBASTIANI MINTVRNI, EPISCOPI VXENTINI, BONVS.

HACTENVS *sexposui, quæ uos Atheseides almæ*
Dixistis Nymphæ, cecinit doctissimus Augur
Carmine diuino celsâ de rupe Diocles.
Addite nunc, uestris famâ qui notus in oris,
Pauca Bono, undisonis quem uos aluistis in antris,
Pierides castæ doctum fecêre Poëtam.
Sic uobis liquidi fontes, sic flumina nunquàm
Deficiant, placidóque fluant sic agmine semper,
Et nemorum scenæ & florentia prata uirescant:
Incipite: atque Boni meritos dicamus honores.
Vix erat hic teneras cœli susceptus in auras
Et charam ludens risu cognoscere matrem
Cœperat: infantem gremio excepêre uirenti,
Ac molli faciles fessum fouêre cubili
Naiades, cultis muscoso pumice tectis
Eduxêre, suásque bonæ excoluêre per artes:
Siue lacus amnésque uelit, seu cingere saltus
Retibus, & captas nantum uel ducere prædas

Ex uitreo fundo, sæuos captare uel apros,
Vel celeres uolucri cursu præuertere damas:
Alituúmue gregem laqueis, aut fallere uiſco,
Diſpoſitísue plagis inter dumeta rubósque,
Vel quas ficus alit pinguis, quas dulcibus uuis
Frondicomæ ſepes, uel amans quas littora myrthus,
Quas baccæ mites nunquàm fallentis oliuæ
Quas & Iuniperi uirides in collibus altis.
Illum præterea qua ſint ratione tuendi
Aruorum cultus, ſeruandáque ſidera cœli
Edocuêre, ſoli quæ uis cuiuſque colendi,
Siue boum exercenda iuga, ac telluris aranda
Aequora, ſeu ferri ſcindenda eſt pondere gleba:
Ventura in ſegetem flauentem ubi ſemina iactet,
Conſerat aut ſtirpes uarias, uinetáue ponat
Ordine conſpicuo, iungat ſeu uitibus ulmos,
Multijuga aut tenui ſtatuatur uinea ſulco:
Aut fluuios riuis ſitientes ducere in agros
Intentè ſtudeat, ſi quando deficit imber:
Collecta rapido candentis ſideris æſtu
Pulſa boum pedibus lætetur ut area fruge:
Plurimáque ſpumet plenis uindemia labris:
Siue in ſylueſtres hortenſia germina malos
Inſerat, ut ſteriles perpulchro flore pyrorum
Albeſcant plantæ, agreſtes aliena legenda
Poma ferant frutices: peregrinis gaudeat hortus
Arboribus, mitésque edant nemora ardua fœtus.
Si tondere iuuat pecudes, educere & agnos,
Cúmque aurora fugat ſtellas ad pabula læta

Ducere,

Ducere, & ad caulas, uillarum ubi culmina fumant;
Interdúmque gregem fluuio mersare salubri:
Aut uaccas alere & præstanti corpore tauros,
Ac legere ad prolem gignendam pectore pulchro
Qui præstent, terram meliùs qui uertere aratro
Eualeant, Cereris cumulentur ut horrea donis:
Saltibus herbosis armenta aut pascere equarum,
Et spumantis equi ualidos calcaribus armos
Perfodere, & gressum crebro glomerantis in orbem,
Aut celeri cursu palmam properantis ad altam,
Aut citum in infestas impellere bella gerentem
Hostiles acies, uolucrésue agitare quadrigas.
Si iuuat his studijs, huic indulgere labori,
Edidicit pecori quínam sit cultus habendo.
Quin apibus quoque quanta sit experientia parcis,
Aërij roris quæ sint cœlestia dona,
Quæ sedes illis tutâ statione petendæ;
Vt ualeant densas distendere nectare cellas,
Quósque suo sub rege fauis emittere fœtus.
Iam uerò puerum Musæ accepêre docendum
Egregias artes Phœbi, præceptáque morum
Diuina: ac primùm terras cœlúmque profundum
Metiri, campósque maris docuêre patentes,
Et spatia astrorum, longósque à limine cursus
Occiduo, quæ festinent se tingere ponto
Sidera, quæque polos circumuoluantur, & orbes
Conficiant, nec iter deflectant æthere summo,
Aurea nec celent flammis radiantibus ora:
Quæque globos habeant solidos, motúque ferantur

Multi-

Multiuago, & latè transcendant tramitis oras
Obliqui, ac longè circum flagrantibus acti
Ignibus ætherijs, quâ uertex tollitur altè,
Aut quâ depressus mânes descendit ad imos.
Quis fando assequitur cursum, solisque labores?
Quis multas lunæ ambages, quæ culmina cœli
Vertice nunc tangit, stygias nunc uecta sub undas,
Serpit humi; ínque dies uarias induta figuras
Nunc supera ascendens gelidas se attollit ad Arctos,
Infera Pellæi nunc fertur ad astra Canopi
Descendens cœlo, renouet seu pulchra iuuentæ
Lumina, seu capiat deformis damna senectæ,
Omniuagans donec perfectos expleat orbes,
Sidera nocturnâ seu pellat luce minora,
Seu lateat miris interdum offusa tenebris?
Quo se illa aspiciant uultu, quo lumine se se
Inter, quæ coëant coniuncta in fœdera tandem:
Quóque fluant didicit mundi in primordia motu,
Corpora quo pacto afficiant, iam prodita ad auras
Incipiunt captare noui cùm frigora cœli,
In terras mittant quæ semina denique rerum.
Iámque omnes iuuenem duxêre per ætheris oras
Discendi cupidum Aonides; quæque agmina Diuûm
Et uim Saturni, sanctum comitentur & astrum;
Quæque Iouis magni felicia sæcula regis;
Fatiferi quæ Martis opus; quæ carmina Phœbi;
Quæque Choros pulchræ Veneris, studiúmque placen-
Alitis ætherij quæ Nympha Atlantide nati *(di;*
Fandi ubertatem ingentem, ostendêre sorores,

Proxima quæ terris tua lumina deniquè Phœbe.
Hinc etiam, ut perhibent, animas in corpora & artus
Terrenos prodire suo de sidere quasque,
Mortalis uitæ pedicis, uinclisque teneri,
Ad sua dum redeant fulgentia sidera tandem
Quamuis inuitæ: tanta ac tam dira cupido
Carcere conclusis humanâ luce fruendi.
Aspiceret iussêre Deæ stellantis Olympi
Culmina, sidereósque foros, sedésque beatas:
His inter superos ullo sine fine parari;
Pectore qui toto amplectuntur iúsque piúmque,
Atque odêre nefas; nec non incommoda læti
Multa ferunt, dulcis contemnunt commoda uitæ
Dum totas adeò regna ad cœlestia uires
Intendunt, nihili ut ducant absumier igni,
Immiti aut ferro, dirámque occumbere mortem.
(Nimirùm hos ardens educit ad æthera uirtus;
Hos amat omnipotẽs Pater ipse hominúmque Deûm-
His se spectandum præbet, plenéque fruendum; (que
Gloria quæ summa est, uitæque æterna uoluptas.
His huc alma fides diuini mater amoris,
Et spes alta duces, sanctæ unanimésque sorores)
Hic solio ex astris summóque sedere Trinumen,
Aeternúmque unúmque Deum, qui cuncta creauit,
Immotus qui cuncta mouet, qui cuncta gubernat,
Quæ nostram fugiunt aciem, quæcunque uidemus,
Quódque supra lunã, quódque infra, et quicquid ubiquè
Quid memorẽ? an posuit proprijs distincta figuris (est.
Et seiuncta locis ut quatuor ordine certò

Principia,

Principia, & passim cunctarum semina rerum
Omnia? nec facies erat aspectabilis ulla:
At diuinus aquas inter iam spiritus ibat.
Tum Pater ætherias lucem produxit in auras,
Iucundam lucem; ac tenebris seiunxit ab atris.
Lux fuit alma dies; tenebræ sed noctis opacæ,
Appellante Deo, tenuêre in sæcula nomen.
Quin & sidereo uestitum lumine cælum
Protulit in medium, quod aquas distingueret omneis,
Quæque infrà manant, suprà quæ pulchra fluenta;
Et subter quæcunque fluunt collegit in unum;
Ac maria appellans certo intra limite fines,
Quos nunquàm transire queant, compulsa coegit.
Iam durare solum, ac medijs subsidere iussit
Sedibus: æquatis distaret ut undiquè ab axe
Id spatijs, proprio libratum pondere, & hærens.
Tum geminos oculos, duo maxima fixit Olympo
Lumina; qui tenebras pellant, præsintque diebus,
Alter cælestis fons lucis, noctibus alter,
Fraternâ, non ille suâ, iam lampade fulgens:
Et multa affixit pulcherrima sidera circùm:
Tempora quæ monstrét; quæ rerum sint quoque signa.
Tum primùm Oceano mirata est surgere solem,
Occidere, atque ignes toto diffundere cælo
Omniparens tellus, mirata uirescere campos,
Et læto colles uestiri lumine florum,
Arboribúsque nouis, nec non pubescere plantis
Frugiferis latè, densásque adolescere syluas,
Ac liquidos labi per prata recentia riuos.

Tum pecoris placidi genus omne errare per agros,
Omnigenum condi in sylvis stabula alta ferarum,
Et latices nantúmque greges, uolucrúmque dedisse,
Quæ uario tenerum complerent aera cantu.
Iámque Dei similem molli de puluere cretum
Elysios hominem lucos, & amœna uireta,
Delicias animi, camposque tenere beatos;
Qui iam sponte suâ lætantes omnia ferrent.
Eiectum indè casas humiles habitare per arua,
Duratas curuo glebas proscindere ferro,
Et tenuem ad uictum magno aduigilare labore:
Quem Deus ipse tamen mundi rerúmque potentem
Fecit; quodcunque apparet, quodcunque mouetur,
Ad fructum olli subiecit, terrámque, polúmque,
Et maria, & quicquid dias accersit in auras
Alma parens, liquida quodcunque & uescitur undâ.
Nec docuisse satis rerum cognoscere causas,
Nomináque, æternísque aptam nexámque cathenis
Perpetuam seriem causarum, arcanáque fa'a:
Sed præcepta dedit, quibus ille in sæcula uitam
Seruaret gaudens, nec mortis damna timeret.
In biuio statuit, qui liber, utrum uelit, indè
Carpat iter: seu quod per prata uirentia lætum,
Pérque uoluptates tenebrosa ad Tartara ducat:
Seu quod per loca senta situ: pérque aspera saxa,
Per nemorum dumeta æterna ad gaudia Diuûm.
Postquàm de recto, uano deceptus ab angue,
Tramite, flexit iter læuus, totâque nepotes
Errauere uiâ, latéque increbruit error

Humani generis uexilla inimica sequentis,
Omne nefas purgauit aquâ, scelus omne piauit:
Inuoluêre diem nubes, atque ætheris alti
Abstrusi fontes longè emicuêre fluendo,
Ingentésque amnes cœli erupêre latebris
Immenso pluuius descendit Iuppiter imbri
Coniugis in gremium, terrarúmque obruit orbem,
Vallibus oppletis, superatis montibus altis.
Humanam ad sobolem perpaucos lignea moles
Seruauit, terras omnes quæ deindè repleret.
Tum legem sancto diuinam protulit ore,
Marmoreque inscripsit niueo; ritúsque sacrorum
Instituit, castíque sibi qui ritè ministrent;
Ad prædicendum permouit pectora uatum;
Vt decus amissum summâ uirtute receptet,
Sideriòque uiam nitens affectet Olympo.
Verùm, ubi profecisse nihil se denique uidit,
Omnia sed ruere in peius, retróque referri;
Quam promiserunt diuina oracula quondam,
Vnigenam cœlo prolem demisit ab alto
Virgineo partu susceptam ad luminis auras,
Quæ monstraret iter, quod lucida ducit ad astra,
Antiquam ablueret proprio quæ sanguine labem,
Aeternum immiti regnum sibi morte pararet.
Quid prætermisit, quod iam prodesse putaret
Ingrato generi, immortale & redderet æuum?
Tantæ molis erat, superis æquare merendo,
Tollere humo, & cœli regali in sede locare
Terrena, horrentíque obnoxia corpora morti.

Hæc docuere Bonum pulchræ sanctæque sorore;
Multáque prætereà, quæ fari magnus Apollo
Non sinit. hæc Nymphæ clarâ dum uoce referrent,
Omnis ager siluit, tacitæ sedêre uolantes,
Frigida compresso requierunt flumina cursu;
Ex illóque Bonus, Bonus est iam tempore nobis.

FINIS.